De Timotheo I, Nestorianorum patriarcha (728-823), et christianorum orientalium condicione sub chaliphis abbasidis. [...]

DE TIMOTHEO I
NESTORIANORUM PATRIARCHA
(728-823)

ET CHRISTIANORUM ORIENTALIUM CONDICIONE
SUB CHALIPHIS ABBASIDIS

ACCEDUNT
XCIX EIUSDEM TIMOTHEI DEFINITIONES CANONICAE
E TEXTU SYRIACO INEDITO
NUNC PRIMUM LATINE REDDITAE

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

HIERONYMUS LABOURT

EIUSDEM FACULTATIS QUONDAM ALUMNUS, SOCIETATIS ASIATICAE SODALIS.

PARISIIS
APUD VICTOREM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM
VIA DICTA BONAPARTE, 90

1904

DE TIMOTHEO I

NESTORIANORUM PATRIARCHA

(728-823)

DE TIMOTHEO I
NESTORIANORUM PATRIARCHA
(728-823)
ET CHRISTIANORUM ORIENTALIUM CONDICIONE SUB CHALIPHIS ABBASIDIS

ACCEDUNT
XCIX EIUSDEM TIMOTHEI DEFINITIONES CANONICAE
E TEXTU SYRIACO INEDITO
NUNC PRIMUM LATINE REDDITAE

THESIM FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

HIERONYMUS LABOURT
EIUSDEM FACULTATIS QUONDAM ALUMNUS, SOCIETATIS ASIATICAE SODALIS.

PARISIIS
APUD VICTOREM LECOFFRE, BIBLIOPOLAM
VIA DICTA BONAPARTE, 90
—
1904

PIISSIMIS PARENTIBUS

PRAEFATIO

In alio libro [1] historiam Ecclesiarum quas christiani in regno Persarum condiderunt scribendam suscepimus, et nostram narrationem produximus ad tempus quo Arabes, Sassanidarum dynastia devicta et eversa, imperio potiti sunt. Quid vero de christianis acciderit sub Musulmanis principibus, tum Omiadis, cum Abbasidis, inquirendum superat, et id propositum exequi nobis in mentem venit. Verum re melius perspecta, in consilio nostro non perseveravimus, praesertim quod materia historica, ut aiunt, plus aequo deficeret. Chronica quidem Mare et ʿAmr, itemque Barhebraei, in lucem data sunt eisque non sine fructu uti licebat; sed quanquam non nullius pretii sunt notitiae quae in his operibus continentur, necesse est eas cum aliis fontibus probatioribus et emendatioribus conferre. Porro vix pauci codices qui historiae horum temporum scribendae adhibeantur hactenus editi sunt.

Itaque, in hac dissertatione, nihil aliud agemus nisi Timothei I, celeberrimi Nestorianorum patriarchae, qui Ecclesiam orientalem, cum Abbasidae maxime florerent,

1. *Le Christianisme dans l'Empire Perse*, Parisiis, 1904.

rexit, vitam narrabimus, et res ab eo gestas quantum poterimus ordine digeremus; quod non tantum ecclesiasticae sed etiam profanae historiae studiosis nonnihil profuturum esse speramus. Cum enim omnibus notum sit Bagdadensium chalipharum imperio subiectos omni vita atque cultu expolitos fuisse, a multis ignoratur Christianos orientales doctrinarum et artium quibus Arabum fama nostra adhuc aetate splendet, non solum sectatores et fautores, etiam magistros proprie dici debere. Id quoque fortasse maius est, quod dum philosophi et medici christiani Musulmanos a fera agrestique vita ad humaniorem cultum magisque civilem deducunt, missionarii et monachi Sinarum Indorumque finitimas regiones indefessi peragrant, cum fide vera cultarum gentium mores consuetudinesque secum deferentes.

Ad ea demonstranda et illustranda, praeter documenta historica aut hagiographica quae ulterius recensebimus, inedita opera Timothei saepius adhibuimus. Epistulas etiam eius in publico proponere statueramus, quas sedulo perlustravimus[1]. Sed cum simile consilium cl. prof. O. Braun incepisset, ab eo rogati, destinatum exequi destitimus, et canones tantum eiusdem Patriarchae vulgare cogitavimus, quos latine versos infra reperies.

Praeter opera Timothei inedita his libris usi sumus :

BARHEBRAEUS : *Chronicon ecclesiasticum*, pars II, ed. Abbeloos-Lamy. Lovanii, 1877.

1. Epistulae Timothei, et maior pars operum eius quae supersunt, inveniuntur in codd. Mus. Borgiani K. VI. 3, p. 243-719 et K. VI. 45, p. 745-778, quorum apographa cl. J.-B. Chabot mihi benignissime commodavit.

LIBER TURRIS, *seu Maris Amri et Slibae de patriarchis Nestorianorum commentaria,* ed. Gismondi (Textus arabicus, versio latina). Romae, 1897-1899.

SYNODICON ORIENTALE, ed. Chabot. Parisiis, 1903.

THOMAE MARGENSIS : *Historia monastica,* ed. Budge (*The Book of Governors :* Syriac text, English translation). Londini, 1893.

R. DUVAL : *Littérature syriaque.* Parisiis, 1899.

W. WRIGHT : *A short History of Syriac Literature.* Londini, 1894.

O. BRAUN : *Der Katholikos Timotheos I und seine Briefe. Oriens Christianus,* nº 1, p. 138-152. Romae, 1901.

INDEX OPERUM TIMOTHEI[1]

I. — Opera philosophica et theologica.

1) ܟܬܒܐ ܕܟܘܟ̈ܒܐ : Liber stellarum : astrologicum opus.

Deperditum.

2) ܕܪܫܐ ܕܥܡ ܡܗܕܝ : Disputatio cum Mahdī[2].

Id opus, arabice saepe versum, et frequenter syriace transcriptum apologia est religionis Christianae adversus Musulmanos. Fingit Timotheus se cum Mahdī chalifa controversiam habere. Ex quodam codice a Steinschneider recitato conicit Braun patriarcham cum chalifa disputasse anno 1116 Graecorum, vigesimo autem sexto patriarchatus sui (804/5). Sed in regnum huius chalifae non incidit is annus.

3) Opus incertae inscriptionis quod Assemanus ex codice ʿAbdišoʿ Nisibeni legit[3] : ܫܘ̈ܐܠܐ ܕܚܕ ܟܬܒܐ ܥܠ ܪ̈ܫܐ ܕܥܡ ܬܫܥܝܬܐ et vertit : quaestiones uno comprehensae volumine de [variis] capitulis, cum historia. Ecchellensis legit : ܫܘ̈ܐܠܐ ܕܚܕ ܟܬܒܐ ܘܕܪ̈ܫܐ ܕܥܡ ܚܪܝܢܐ « Quaestiones uno digestae volumine, et disputationes adversus contentiosum ». Quidquid legendum est, nobis videtur parum probabilis sententia cl. Braun qui opinatur cum Assemani hic agi de disputatione cum iacobitarum patriarcha Georgio, cuius mentionem facit Barhebraeus (*Chron. eccl.*, II, 181).

II. — Opera canonica.

1) Ordines iudiciorum ecclesiasticorum, et de hereditatibus : ܛܘܟ̈ܣܐ ܕܕ̈ܝܢܐ ܥܕ̈ܬܢܝܐ ܘܕܝܪ̈ܬܘܬܐ. Nonaginta et novem definitiones, quarum versionem integram infra habes[4]. Haec collectio absoluta est anno 1116 Graecorum (804/5).

1. In hoc indice conficiendo, multum nobis profuit cl. Braun dissertatio in ephemeride quae *Oriens Christianus* inscribitur, 1903, p. 147 sqq. Cf. etiam Wright, *op. cit.*, p. 191-193. R. Duval, *op. cit.*, p. 309.

2. Qui chalifatum tenuit annis 775-785.

3. *Bibl. orient.*, III, p. 163, n. 2.

4. Cf. Braun, p. 148, VI.

2) *Tomi synodici*[1] : ܛܘܡܣ̈ܐ ܣܘܢܗܕܝܩܝ̈ܐ. Quid his verbis intellexerit ʿAbdišoʿ aegre assequi possumus cum numerum tomorum prorsus ignoremus. Forte significantur : 1°) Synodicon orientale curis Timothei collectum et ordinatum[2], 2°) Synodus anni 782 qua pacem cum Ephraemo metropolita Elamitarum iniit[3], 3°) Canones supra recitati et translatio iudiciorum Išobokt metropolitae Persidis, 4°) Varii canones quos incerto tempore Timotheus confecit. Novem memorat et recitat ʿAbdišoʿ in Nomocanone a Mai edito (IV, 1-2 : 6, 16, VIII, 14, 16, 18, IX, 4, 5, 6).

Canones in breviorem formam redacti et arabice versi ab ibn aṭ-Ṭayyib, Išobarnun tribuendi sunt non Timotheo[4]. Et codex Parisinus 332 (208-216) non hos canones, sed canones synodi prioris Timothei continet.

Certo quidem errat cl. Braun cum existimat hoc opus credibiliter esse eumdem ac tractatum contra synodum Chalcedonensem quem memorat R. Duval[5]. Is tractatus non Timotheo nostro sed Timotheo Alexandriae patriarchae monophysitae tribuendus est.

4) ܡܐܡܪ̈ܐ ܕܥܠ ܥܐܕ̈ܐ ܡܪܢܝ̈ܐ ܕܟܠ ܚܘܕܪܐ : Homiliae de festis dominicis totius circuli (id est : anni liturgici)[6].

5) ܦܘܫܩܐ ܕܬܐܘܠܘܓܘܣ id est : interpretatio Theologi (Gregorii Nazianzeni) quam memorat Bar Hebraeus[7]. Commentarium fuisse mavult Braun. Animadvertit quidem Timotheum frequenter in epistulis suis Gregorium recitasse et versionem a iacobita Paulo[8] septimo saeculo exaratam a Sergio repetiisse[9]. Alteram autem versionem Gabrielis Boktišoʿ filii curis factam alibi (ms., p. 450) memorat. Hanc significari a Barhebraeo cogito. Forte Iambos tantum complectebatur, de quibus tantum Timotheus ad Sergium, *loc. cit.*, verbum facit; sed verisimile est Gabrielem integram Theologi versionem fieri curavisse, maxime autem tractatus περὶ υἱοῦ et epistularum ad Cledonium, circa quas inter Iacobitas et Nestorianos tum temporis infinitae controversiae movebantur.

1. Cf. Braun, p. 149.
2. Ed. Chabot. Cf. editoris praefat., p. 13.
3. Ed. Chabot, *Synodicon*, p. 599-608.
4. Cf. Chabot, *Synodicon*, p. 614-615, n. 29, 30, 37.
5. *Littérature syriaque*, p. 309.
6. De fragmentis quae supersunt, cf. Braun, *op. cit.*, p. 147.
7. *Chron. eccl.*, II, 179.
8. Cf. Duval, *Litt. syriaque*, p. 311 et 312.
9. Ms., K. VI. 3, p. 437, 447.

III. — Timothei epistulae. ʿAbdišoʿ in Catalogo[1] ait : « Habet praeterea biscentum circiter epistulas in duos tomos distributas ».

Quinquaginta et novem epistulae inveniuntur in codice Borgiano K. VI. 3, p. 243-719 : Eorum indicem tradit Braun[2]. Ibidem enumerat epistulas deperditas quas transcripserunt Thomas Margensis, Mare, ʿAbdišoʿ Sobensis.

1. *Bibl. orient.*, III, p. 163.

2. *Art. cit.*, p. 149-151. Epistularum quae nobis servatae sunt maior pars ad Sergium missae sunt, sive cum rector scholae Abrahami esset, sive cum metropolitanam Elamitarum sedem occuparet. Priores his verbis : *ad Sergium monachum*, posteriores autem illis : *ad Sergium Elamitam*, distinximus.

CAPUT I

DE VITA TIMOTHEI

Timotheum anno D^ni 726 natum esse opinatur D. Braun[1], Mare auctoritate fretus[2]. ʿAmr dicit patriarcham anno Graecorum 1134 lunari 205, id est anno Domini 823, e vita decessisse[3]. Porro ex multis fontibus notum est eum tunc nonaginta quinque annis natum fuisse[4], unde erui potest anno Domini 728 nostrum patriarcham ortum habuisse. Verum id cum altera notitia parum congruit. Ipse Timotheus in prolegomenis decretorum suorum de matrimonio et hereditatibus[5] ait se tum temporis (805) annis « plus minus sexaginta quinque natum fuisse »; unde annus 740/1 nativitatis eius fuisset. Controversiam dirimere non possumus, nisi forte in prolegomenis decretorum pro : sexaginta quinginta quinque, septuaginta quinque legendum esse censeamus.

Ḥazzae[6] in vico Arbelis vicino vitam accepit Timotheus. Arbelae, quondam Adiabenae provinciae caput, erant una ex amplissimis civitatibus wilayati Mossulensis quem post dirutum Sassanidarum imperium Arabes constituerant. Adiabenam nondum integre penetraverant Musulmanorum religio et consuetudines; eam provinciam Christiani

1. *Oriens Christianus*, n° 1, p. 139.
2. Mare, vers., p. 65.
3. Vers., p. 38. Cf. Chabot, *Synodicon*, p. 603, n. 5.
4. Exempli gratia Mare, vers., p. 65.
5. Vide infra, p. 52.
6. Cf. Hoffmann, *Auszüge aus syrischen Akten persischer Märtyrer*, p. 237.

quam primam occupaverant, ultimam sibi retinuerunt. Maxima pars incolarum saeculo octavo veterum religioni linguae moribus obstricta permanebat; tam in ditissimis campis ad inferiorem Zab sitis, quam in longinquis regionibus quas nostris temporibus Kurdi occupant, etiam apud pastores qui incertis sedibus per montes asperrimos vagabantur innumerae ecclesiae et permulta monasteria eaque eremitis et coenobitis referta florebant, quantum saltem sinebant Musulmanorum praefectorum crebrae exactiones et direptiones.

Patrem et matrem Timothei quorum nomina non tradit inter optimates Ḥazzae fuisse non sine probabilitate asserit Mare chronographus [1]. Avunculus eius Georgius sedem episcopalem Beit Bagaš [2] ad laevam ripam Zabi maioris obtinebat [3]. Ibi fere sine dubio educatus est puer, sive quod parentes eius mox diem obierant, sive quod mature clero destinatum patruo eius commendarant. Ubi primis litterarum rudimentis imbutus est, a Georgio ad insignem magistrum missus est, ut in sacris profanisque disciplinis educaretur. Ille doctor praeclarissimus inter eos qui has regiones incolebant Mar Abraham Interpres vocabatur [4]. Bašoš pagum in Ṣafṣafae vallibus habitabat. Ut a Beit Bagaš in Bašoš contenderet Timotheus insigne Beit ʿAbe [5] monasterium ingressus est, quod a Iacobo Abrahami Kaškarensis discipulo alibi fundatum esse rettuli [6]; saeculo septimo et octavo tam numero monachorum quam scholae fama maxime claruit.

Cum ergo illac Timotheus transiret, occurrit illi veterrimus coenobita et quae de eo futura essent praedixit. Rem

1. P. 63.
2. Hoffmann, *op. cit.*, p. 227 sqq.
3. Thomas Marg., *Hist. monast.*, ed. Budge, I, p. 195; II, p. 380.
4. *Hist. monast.*, loc. cit.
5. De hoc monasterio, cf. *The Book of Governors*, I. Introd., p. XLI-LXIX.
6. *Le Christianisme dans l'Empire Perse*, ch. XI.

ita narrat Thomas Margensis in *Historia monastica*[1] : « Erat in monasterio vetus monachus aetate provectus cuius nomen incertum mihi est..... Cum hic senex in coenobium devenisset, adulescentemque illac transeuntem conspexisset, Dominus noster Iesus Christus hunc iuvenem clarissimum futurum esse ei revelavit, eumque magnum in Ecclesia Dei fore cognovit. Officio divino peracto eum (Timotheum) duxit in cellam suam, iussitque sedere et eum interrogavit : Unde es tu, et quo vadis? Respondit Timotheus et dixit : « Ego sum filius fratris Georgii episcopi Beit Bagaš, misitque me in scholam apud Rabban Abraham in vicum Bašoš. » Tunc, ut ferunt, granorum modius una drachma (zuz) venumdabatur. Senex autem extraxit drachmam deditque Timotheo; postea monuit eum, dicens : « Vade nunc, grana eme et manduca, et fulge plenissime in meditatione Scripturarum. Ab omni impuritate cave; fies enim patriarcha totius terrae Orientis, inclitumque adeo te faciet Dominus noster ut ante te nemo sicut te fuerit, nec post te similis fiet. Quadraginta duobus annis omnibus Christi gregibus praeeris. Cum vero manu Dei ad illam dignitatem elatus fueris, sanctam hanc domum honorare cor tuum studeat, ubi tibi revelatum est te nec vilem nec despectum esse coram Deo. Vade nunc in pace, et quae tibi mandavi observa. »

Ex lepida fabula recte conicere licet monachos Beit ʿAbenses summo studio curavisse ut postquam electus est Timotheus amicitiam gratiamque eius sibi conciliarent. Id etiam verum esse potest : monachos Beit ʿAbenses re vera iuvenem Timotheum benigne accepisse, eique deinde, maxime cum ad thronum patriarchalem accedere tentavit, plurimum favisse. Quidquid id est, Timotheus mox coenobium reliquit ut in Bašoš perveniret magistrumque Abraham adiret.

1. *The Book of Governors*, text., p. 95; transl., p. 380.

Non temere suspicamur eum non solum fama doctoris allectum Bašoš petiisse, sed quia Abraham pago Beit Ṣayyade Arbelis vicino oriundus erat ac proinde fortasse Timotheo notissimus. Recentiores scriptores hunc Abrahamum eumdem quem Abraham Bar Dašandad esse putant [1]. Assemani [2] eum cum Abrahamo Bar Liphe qui expositionem Liturgiae fecit, confundebat. Verum Thomas Margensis [3] qui paene eius aequalis fuit eum tantum « Claudum » aut « Beitṣayyadensem » appellat. In epistulis autem Timothei passim uno « Interpretis [4] » cognomine insignitur, aut verbo « Rabban » simpliciter designatur. Nullum ergo indicium firmum erui potest quo nobis manifestum fiat utrum Abraham Interpres unus sit cum Bar Dašandad vel Bar Liphe necne. Res parvi quidem momenti est, cum utriusque doctoris opera omnino sint deperdita. Id unum certum est : Abraham illum inter viros huius temporis doctos doctissimum exstitisse, Babaeique iunioris discipulum insignissimum fuisse.

Saeculi octavi initio Babaeus ille, iunior [5] dictus ut ab altero Babaeo archimandrita [6] saeculo septimo secerneretur, in pristinum statum res liturgicas penitus dirutas Musulmanorum invasione et praesulum incuria restituere conatus est in Adiabena et vicinis provinciis. Maximas curas in instaurando cantu ecclesiastico impendit, quem postquam Išoyahb III patriarcha Ḥodram seu ordinem totius anni instituerat, paulum profecisse verisimile est. In vico Kefar ʿUzzel provinciae Adiabenae primam scholam fundavit; deinde vero Margensem regionem peragravit, ibique viginti quattuor

1. Braun, p. 138.
2. *Bibl. orient.*, III, p. 196. Ei assentitur Budge, *The Book of Gov.*, p. 380, n. 3.
3. *Loc. cit.*
4. ܡܦܫܩܢܐ.
5. *Bibl. orient.*, III, p. 197 sqq. *Hist. monast.*, l. III, ch. I-VI.
6. Duval, *Litt. syr.*, p. 222.

scholas constituit in quibus praeter cantum ecclesiasticum, etiam Scripturas sacras artesque profanas discipulos doceri iussit. Thomas Margensis quem portenta narrare multum delectat refert Babaeum fortunam Abrahami Interpretis praedixisse [1].

Abraham claudus erat ab utero. Dum aliqua die per vicum Kefar 'Uzzel Babaeus pertransit, mater Abrahami filium ei praebuit plorans et dicens : « Magister, ora pro hoc dimidio homine quem genui ». At doctor puerum pectori admotum perdiu considerat, et matri respondet : « Non hic est dimidius homo, sed pater patrum, princeps doctorum cuius nomen et scientia toto Oriente celebrabuntur ». Addit chronographus : « Res ita cessisse unusquisque nosse potest ».

Timotheus in schola Abrahami nonnullos condiscipulos habuit quorum nomina nobis nota sunt : Išobarnun [2] qui post eum patriarchatum rexit, Abu Nuḥ anbarensem [3] qui scriba clarus factus est, et praefecto Mossulensi a secretis fuit, Sergium qui Abrahamo scholae rector successit, et postea a Timotheo metropolita Elamitarum creatus est. Apud Abrahamum non tantum Scripturam et Liturgiam didicerunt sed reliquas disciplinas, praecipue philosophiam Aristotelis. Patrum Ecclesiae opera summo studio Abrahamus conquirebat, neque eorum tantum qui Nestorianorum sectae adhaeserant aut faverant, sed doctorum graecorum quorum pluries exemplaria transcribenda et syriace a discipulis utraque lingua peritis vertenda curavit [4]. Inter multa testimonia locum afferemus quintae epistulae ad

1. *Hist. monast.*, I, p. 145; II, p. 301.
2. *Bibl. orient.*, III, p. 165. Duval, *Litt. syr.*, p. 387.
3. *Bibl. orient.*, III, p. 212. Duval, *Litt. syr.*, p. 382.
4. Num et quatenus graece noverit Timotheus nobis adhuc incertum est. Ex locis cod. nostri : p. 440, 639, 677, 699, colligimus eum adeo graecis et arabicis litteris imbutum esse ut de grammatica disputare posset; ex. gr. : de genere nominum et vi verborum. Graece autem et arabice loqui, mea quidem sententia, Timotheus non poterat.

Sergium monachum ubi Timotheus memorat Chrysostomi tractatum[1] ad Theodorum lapsum eiusdemque ad Olympiadem epistulas ab Abrahamo « cum adhuc in Marga moraretur » conscriptas esse. Unde etiam liquet provinciam Margae magistrum reliquisse et alio abiisse, id est, in coenobium Mar Gabrielis prope Mossul, ubi mortuus est[2]. Quantum autem tempus Timotheus apud eum exegerit, sive Bašoš sive Moṣṣuli nec scire nec suspicari possumus. Probabile tamen est eum studiis operam dedisse usque dum loco patrui aevo fatiscentis episcopalem sedem Beit Bagaš occupavit.

Si Thomae Margensis verba recte intellegimus[3], in magnam difficultatem negotium incurrit, nec facile Maran-ʿammeh Adiabenae metropolita assensum suum praebuit. Res tamen Timothei prospere cesserunt, et in dioecesi Beit Bagaš avunculo successit. Quae ibi gessit prorsus ignoraremus, nisi Mare narravisset[4] Timotheum tanta cum praefecto Mossulensi amicitia coniunctum esse, ut vir Musulmanus tributorum quae sibi singuli episcopi solvere deberent episcopo Beit Bagaš immunitatem concederet, ad quod impetrandum deprecatore Abu Nuḥ usus est qui, ut diximus, eius condiscipulus fuerat et pro tempore Abu Musâ ibn Mušʿab a secretis erat. Fatendum tamen est rem a consuetudinibus Musulmanorum magis abhorrere quam ut in dubium eam vocare vix non adducamur. Si quid tamen veri ex ea notitia eruendum est, inde probatur Timotheum iam anno 769/70 episcopum fuisse, cum tunc ibn Mušʿab Mossulanam praefecturam occupaverit[5].

Decem circiter annos provincialem et ignobilem Bagaš

1. Ms., p. 443.
2. Inter multa loca epistularum, cf. epistulam ad monachos Mar Gabriel, p. 657 et sqq.
3. *Hist. monast.*, l. IV, ch. III; t. II, p. 381.
4. P. 63.
5. Braun, *art. cit.*, p. 139, n. 2.

ecclesiam rexit, nam anno 779, Ḥenanišoʿ Catholicus, postquam per quattuor annos innumeris calamitatibus aerumnisque obnoxius regnavisset, repentina morte periit veneno sublatus [1].

Nuntio allato, Timotheus patriarchatum petere sibi proposuit. Aegre tunc Catholicus creabatur. Multi enim competitores tum a magistratibus musulmanis, tum a primoribus christianorum adiuvabantur. Ḥenanišoʿ II per longum tempus episcopum kaškarensem quem Mare Iaʿqob bar Iazdin, Synodicon vero Isaac appellat, adversarium habuerat. Is episcopus a Mahdi chalifa coactus est ut monachum quemdam Beit-Ḥalensem nomine Georgium qui, sede vacante, populi christiani utilitatem et commoda tutatus erat, catholicum ordinaret et consecraret. Kaškarensis iussu regis obtemperavit, cum in Georgio nullum scelus inveniret quo indignus fieret qui eligeretur, atque Urbium (id est Seleuciae et Ctesiphontis) incolae, et Kaškarenses et alii multi eum gratum haberent, princeps autem nullo modo haeresim aut schisma in Ecclesiam introducere in mente haberet. Itaque respondit duci Muḥziz ibn Ibrahim : « Iussis regis et electioni ab eo factae annuo, ut decet subditos domino parere [2] ».

Interea Ḥenanišoʿ episcopus Lašôm Ḥirtensium et Garamaeorum et archidiaconi Marawi ope fretus, synodo collecta, sine intercessione chalifae ab episcopis electus est et Georgium devicit, episcopo tamen Kaškari absente, cuius condicio erat ut solus, secundum canones, synodum generalem mortuo patriarcha convocare posset [3]. Isaac iniuriam arguit et schisma excitavit. Verum Ḥenanišoʿ, altera synodo habita, electioni suae auctoritatem dare potuit, forte quod interdum Isaac episcopus Kaškarensis obierat. Sed

1. Mare, p. 62. ʿAmr, p. 37. *Synodicon orientale*, p. 515-523.
2. *Synodicon*, p. 516.
3. Mare, *loc. cit.*

nondum cum kaškarensibus pax perfecte firmata erat cum ipse mortuus est. Inde factum est ut Timotheus in easdem difficultates ac Ḥenanišoʿ delaberetur.

Patriarcha mortuo, Thomas qui in Isaaci locum suffectus erat collegas suos convocavit in coenobium Mar Pethion Bagdadi. Bairawi archidiaconus laïcos fideles congregavit[1]. Sive quod loca nimium distabant, sive quod iter asperrimum pessimumque erat, sive quod pro tempore in angustiis calamitatibusque versabantur, sive quod sui iuris esse contendebant, episcopi Persidis proprie dictae cum metropolita suo Ephraemo Gondišapurensi episcopo abstinuerunt quominus ad contionem venirent.

Synodo igitur tantum interfuerunt episcopi eparchiae patriarchalis et Nisibitae, et scholastici, ei forte qui in urbe Bagdado commorabantur. Kaškarenses et Nisibitae denuo Georgium illum Beit-Ḥalensem qui antea Ḥenanišoʿ competitor fuerat eligere volebant. Abu Qoraiš medicus et cum eo Ninivitae, Ḥaditenses et Maʿaltenses eius partes tuebantur, ab eoque postulaverunt ut in synodum honoris sui causa veniret et episcopos ipse ambiret. Sed, ubi legati ad Beit-Ḥale pervenerunt, Georgium mortuum invenerunt.

Monachi Beit-ʿAbenses nomen collegae sui Išoyahb praeferebant. Sed Timotheus et Abu Nuḥ scriba qui eum adiuvabat, seni persuaserunt ut patriarcali dignitati renuntiaret, metropolitana Adiabenae praefectura decorandus si episcopus Bagašensis catholicus electus esset[2].

At scholastici Ephraemi Gondišapurensis nomen proclamabant nec minimi ponderis erat eorum auctoritas. Saeculo octavo sub Pethione patriarcha magnam potestatem sibi comparaverant quae in tantum crevit ut catholico Marabae II aperte obstare non dubitavissent[3]. Infelix ille vir aufu-

1. Mare, p. 63. ʿAmr, p. 37. Barhebr., col. 165 et sqq. *Hist. monast.*, l. IV, c. III.

2. *Hist. monast.*, II, p. 383.

3. Barhebraeus, col. 153. Res aliter a Mare narratur, p. 59.

gere coactus est et coenobium quoddam ingredi. Illi autem proclamationem liturgicam patriarchae supprimere ausi sunt, eosque non paucis epistulis placare debuit. Multum intererat homines praevalidos quibus nihil unquam nefas fuit fautores potius quam inimicos habere. Eorum animos sibi devinciendos esse ratus est Timotheus ratione quae parum probitati consona omnibus videbitur. Quantumcumque octavo saeculo in Ecclesia orientali fuit lapsa disciplina inceptum Timothei adeo sceleratum et infame iudicabatur, ut Thomas Margensis [1] patriarchae aliunde laudator immoderatus, Iacobi notissimam fraudem hic afferendam esse arbitraretur, in modum excusationis.

Turpe negotium Barhebraeus [2] fuse narrat, Mare [3] autem brevius. Ex eorum notitiis certum est Timotheum scholasticos eorumque sectatores domum adduxisse, eisque saccos argento auroque refertos ostendisse quos eis se daturum si patriarcham eum elegissent spopondit. Homines avari et divitiarum cupidi ab Ephraemo desciscunt et in partes Timothei statim transgrediuntur. Tum adveniunt metropolitae Damasci, Ḥolwan, Beit-Garmai, Merw [4]. Porro canonibus ecclesiasticis indictum erat ordinationem patriarchae si a tribus metropolitis conficeretur legitimam esse [5]. Postquam igitur sedes Seleuciae octo menses vacaverat, Timotheus catholicus consecratus est, die dominica septima maii 780. Re autem peracta episcopi et scholastici praemia promissa depoposcerunt. Verum Timotheus eos derisit et saccos aperiri iussit qui saxis lapidibusque referti omnium oculis apparuerunt, simulque ludibria et iocos addidit quibus pudore suffusi sunt, iratique discesserunt.

Interea Ephraem Elamiticus Bagdadum tandem con-

1. *Hist. monast.*, l. IV, c. IV.
2. *Chron. eccl.*, II, col. 167.
3. P. 63.
4. Mare, *loc. cit.*
5. *Syn. orient.*, p. 365, 554.

tenderat. Aegre tulit reliquos episcopos adventum suum non exspectasse, et Timothei electionem noluit comprobare. Ei adhaeserunt clerici quorum animum patriarchae dolus offenderat, in primis vero Ioseph ibn Mari metropolita Maruensis, vir arabici syriaci persici sermonis aeque peritus, at moribus minus quam doctrina commendabilis. Quas partes egerit episcopus Kaškarensis, non satis certo novimus. Barhebraeus[1] asserit Thomam cum tredecim aliis Bagdadum contendisse et synodo rebellium interfuisse. Sed indicium leve est, et aliunde, ex actis dico synodalibus ipsius Timothei, novimus episcopum Kaškarensem qui cum Ephraemo subscripsit Berik vel Šabiḥ-Baroyeh non vero Thomam fuisse[2]. Forte Thomas interierat nec quisquam in eius loco suffectus erat.

Timotheus magnis angustiis difficultatibusque premebatur, bellumque cuius exitus incertus erat rebellibus indicere coactus est. Ut condicionem suam meliorem potioremque facerent Ephraem et Ioseph venerabilem quemdam collegam, Salomonem episcopum Ḥadithae, sibi adiunxerunt. Episcopus ille, aetate grandaevus et vitae sanctimonia commendatus, pro fide multa passus erat sub chalifa al-Manṣur[3] ut fideles suos a direptionibus praefecti Ibrahim ibn Yaḥia tueretur. Iterum cum christianos depravatos primum admonuisset, deinde monitis non parentes excommunicasset, ei Salomonem apud medicum Isa ibn Šaḥlafa accusarunt a quo Manṣuro abbasidae delatus est quod pecuniam Omiadae Merwan ibn Muḥammed obtulisset cum is adversus Abbasidam pugnaret, et iubente Manṣuro fustibus caesus est. — Sergium episcopum Ma'altaia simul ac Salomonem Ḥaditensem Ephraemo adhaesisse refert 'Amrus[4].

1. Col. 169.
2. *Syn. orient.*, p. 607.
3. Mare, p. 60. Cf. *Bibl orient.*, III, p. 205 sqq.
4. P. 37.

Episcopi Timotheo adversi synodum congregaverunt in Beit-Ḥale [1], urbicula Mossuli vicina, non longe ab Ḥaditha, in monasterio Luti [2], patriarchamque deposuerunt quod, ex regula a Maraba I in constitutione quae *Practica* dicitur edicta, electio catholici non valida esset nisi metropolitae Beit Lapaṭ, Maišan, Arbel, Beit Slokh, aut saltem tres ex illis metropolitis adfuissent [3]. Non negandum est argumentationem eorum firmissimam gravissimamque exstitisse. Deinde cum Maranʿemmeh Adiabenae metropolita e vita cessisset, Rostamum [4] in locum eius ordinaverunt, virum nobilem, et, quod credimus, veteri Persarum stirpe oriundus. Num Ephraemus synodo Beit-Ḥalensi adfuerit neque affirmare nec negare possumus cum de eo nostra documenta prorsus sileant. Verum conicimus eum potius Bagdadi aliquod tempus remansisse posteaque in Persidem reversum esse, Iosephum autem ibn Mari et Salomonem Ḥaditensem demandasse qui a patriarcha septentrionales dioeceses seiungerent.

Sed Timothei virtus neutiquam fracta est. Quindecim episcopos Bagdadi congregavit qui Ephraemum excommunicaverunt, fautores eius anathemate percusserunt et Iosephum ibn Mari deposuerunt in cuius locum Gregorium aliquem elegerunt [5]. Adiabenicae autem sedi praefecit catholicus Išoyahbum Beit ʿAbensem ut sibi monasteria tam incolarum numero quam opibus praestantia conciliaret. Gregorius a Maruensibus benigne exceptus est. Sed Išoyahb vix eparchiam suam ingredi potuit. Primores enim (šahrigânê) qui circa Arbelas et Kefarʿ Uzzel habitabant eum eiecerunt quod Timotheus praeter eorum consensum metropolitam eligere praesumpsisset, Rostamumque vocaverunt. Montana

1. Mare, p. 63.
2. Deir eṭ-Ṭīn. Cf. *The Book of Governors*, t. II, p. 102, n. 7.
3. *Syn. orient.*, p. 554.
4. *Hist. monast.*, l. IV, p. 384. Is Rostamus episcopus erat Ḥenaithae.
5. Mare, p. 64.

tantum Baniqaia et Ḥefton et Margensis regio[1] Išoyahbo adhaeserunt. Senis timidique viri animus fractus est; et ad Timotheum scripsit epistulam querimoniis plenam qua se paratum esse ut episcopali dignitate abnegata in coenobium suum secederet indicavit. Cui Timotheus respondit : « Necesse esse eum quieta mente consistere et finem exspectare; se autem Bagdadi manere ut apud chalifam ageret[2] ». Rerum eventus spem eius non fefellit. Rostamus cum dioecesim suam peragraret et in viciniam monasterii Beit Mar Qardagh pervenisset, feris canibus appetitus, collapsa mula, dilaceratus est, et Išoyahb competitoris morte solus extra certamen metropolitanam sedem Arbelarum tenuit et rexit.

Interdum fortuna rebellium Bagdadi quoque in peius declinabat. Abu Qoraiš et Abu Nuḥ scribae precibus et forte minis Ephraemum eo adduxerunt ut de pace cum Timotheo mentionem faceret, tandem ad congressum eius colloquiumque veniret. Timotheus cuius multum intererat potentis metropolitae gratiam sibi conciliare, satis gravibus condicionibus assensum praebuit. Agnovit se illegitimam consecrationem olim accepisse, et iterum consecratus est ab Ephraemo Bagdadi in ecclesia ʿAbbad. Mare[3] refert metropolitam Elamitarum humilitatem Timothei animique demissionem admiratum deflevisse et ad pedes patriarchae cecidisse. Postea synodum ambo tenuerunt in qua pacis condiciones in lucem datae sunt.

Post prooemium satis prolixum[4] ex quo eruimus bellum inter Ephraemum et Timotheum vix non duobus annis perdurasse, sequuntur duae definitiones. In primo canone iterantur decreta Marabae de modo recte eligendi patriar-

1. *Hist. monast.*, l. IV, ch. VI.
2. *Hist. monast.*, l. IV, ch. VII.
3. P. 64.
4. *Synodicon orientale*, p. 603.

chae : id est de convocatione a Kaškarensi episcopo facienda et de congregatione synodi generalis cui adesse debeant metropolitae Beit-Lapaṭ, Maišan, Arbel, Beit-Slokh, aut saltem tres ex illis. In secundo canone simonia damnatur, et clare ipsius Timothei agendi ratio respuitur. Tertius canon anno 790 additus est, sed ex secundo canone constat synodum Ephraemi et Timothei anno 782/3 congregatam esse.

Pace cum Elamitarum metropolita composita facile Timotheus reliquos adversarios superavit. Salomon Ḥaditensis epistulam ad catholicum misit ut ab eo veniam peteret, et episcopatu relicto in coenobium sancti Aharonis [1] secessit : Iosephus ibn Mari a sede sua Maruensi pulsus frustra apud Mahdi patriarcham insimulavit [2] quod cum Byzantinis insidias Arabibus pararet. Cum autem nihil proficeret et aliunde, si fides chronographis adhibenda est, ne christiani quidem hominis, nedum episcopi indignam vitam ageret et catholicus ea ratione illi anathema minaretur, Musulmanorum sectam ingressus est. Apostatam chalifa beneficiis cumulavit eique latifundia in vicinia Baṣrae donavit.

Ephraemum ipsum dicitur postea Timotheus reiecisse et ignominiose sede sua expulisse ludibriisque affecisse. Verum quae hic Mare [3] narrat vix credi possunt. In decreto enim quod infra ex ʿAbdišoʿ Nomocanone referemus Ephraemus Elamiticus cum Abu Nuḥ dicuntur patriarchae iudicio arbitrioque libros suos priusquam ederentur obtulisse. Eius depositionis ne verbum quidem facit ʿAmr [4] cuius narratio etsi brevior melior tamen nobis videtur. Utcumque se ea res habuit, post annum 782 Ecclesia orientalis tranquilla pace usa est.

1. Cf. *Liber Castitatis*, n. 117.
2. Barhebr., col. 171 et sqq.
3. *Loc. sup. cit.*
4. P. 37.

Gesta Timothei suum quaeque in annum referre non possumus cum in epistulis suis tempora notare paene omnino neglexerit. Duas synodos convocavit : unam anno 790 in qua damnatus est error Messalianistarum [1], alteram anno 804/5 in qua decisiones quas infra reperies promulgavit. Anno 792 Turcarum gens et Nedjranitarum Monophysitarum tribus ad fidem Nestorianam conversae sunt [2]. Anno 799 a chalifa in aulam vocatus est [3], et intra utrumque eventum, amicum suum Sergium metropolitam Gondišaporis creavit. Denique die septima maii anni 823 defunctus est, annis natus nonaginta quinque [4]. Quomodo autem patriarchatum rexerit, dogmata nestoriana vindicaverit, canonicas leges sanxerit, disciplinas ecclesiasticas foverit et auxerit, cum chalifis de rebus christianorum gesserit, sequenti capite dicemus.

1. Ms., p. 706.
2. Ms., p. 656, 657. Cf. 461.
3. Ms., p. 698. Cf. 409.
4. Mare, p. 65.

CAPUT SECUNDUM

DE INTERIORE REGIMINE ECCLESIAE NESTORIANAE SUB PRINCIPATU TIMOTHEI.

§ I. — Quomodo dogma Nestorianum illaesum Timotheus ab adversariis exterioribus et interioribus servaverit.

Cum dolo simul ac virtute Timotheus hostes acerrimos pessum dedisset, firmissimum animum intendit ad Ecclesiae Nestorianae infortunio temporis et internis externisque difficultatibus laborantis rem restituendam augendamque; in primis vero dogma nestorianum contra monophysitas tueri et defendere conatus est. Incipiente saeculo septimo, doctrina monophysitarum orientales provincias e quibus saeculo quinto Barṣaumae et Narsetis opera penitus eradicata eiectaque erat denuo invasit, Gabrielis Šigarensis regis Chosrois II medici consilio auxilioque, et quia Syrorum infinitam multitudinem, iacobiticae sectae asseclarum, in omnes regiones Sassanidarum imperio subiectas rex ipse et duces eius, impetu in terras Romanorum iterum atque iterum facto, relegaverunt et deportaverunt[1].

Inde factum est ut monophysitae qui ante annum 600 vix unam urbem in dicione Persarum occupabant, anno 628/9 plures episcopos supremumque metropolitam *mafrianum* appellatum consecrare potuerint.

Octavo quidem saeculo minore alacritate adversus Nestorianos decertabant, immo alterius sectae in alteram

1. Cf. *Le Christianisme dans l'Empire Perse*, ch. VIII.

odium ita decreverat ut anno 767, catholicatum gerente Iacobo patriarcha, monophysitis in urbe Nisibi, Nestorianorum hactenus inviolata arce, rursusque Nestorianis in urbe Tagrit quae a tribus saeculis uni Philoxeni doctrinae addicta erat, ecclesiam sibi aedificare licuisset. Quod sic refert Barhebraeus in *Chronico Ecclesiastico*[1] : « Eius (Iacobi) tempore, a Nestorianis aedificata est ecclesia in Tagrit, opera Ṣlibazeka episcopi Ṭirhani. Is enim una cum Iacobo catholico in vincula coniectus est, cumque liber evasisset, coepit ecclesias suas instaurare Ṭirhani, atque etiam Tagritum advenit apud Paulum mafrianum cui suasit ut Nestorianis aedificandae Tagriti ecclesiae licentiam daret. Respondit illi mafrianus : « Ad me quod attinet, nullum ex hoc mihi erit detrimentum : ast patriarcham et Tagritenses vereor; quare auctor tibi sum ut Nisibin concedas, ibique Nestorianis suadeas ut Iacobitis ecclesias ab illis ereptas restituant : tum sane permittent Tagritenses ut vobis apud ipsos quoque ecclesia exstruatur ». Itaque cum Ṣlibazeka Nisibin perrexisset et Cypriano metropolitae seni supplicasset atque Nestorianis nisibenis, illi populo nostro celebrem Mar Domitii ecclesiam restituerunt; ac tunc e mercatoribus Iacobitis qui Nisibi degebant, decem abierunt Tagritum postulantes ut illic a Nestorianis aedificaretur ecclesia. Perrexit quoque Ṣlibazeka ad Georgium patriarcham qui etiamtum Bagdadi versabatur in carcere, iique Tagritensibus in hunc finem scripserunt. Porro etsi iuvenes quidem fervidiores repugnabant, his tamen minime obsecuti sunt senes, sed Nestorianis ad partem moenium civitatis exteriorem ad Tigridem concesserunt locum, illisque ibi parva exstructa est ecclesia. »

Timotheus eadem ratione ac decessor suus Iacobus erga Monophysitas se habuit. Saepe vetuit Iacobitas qui Nes-

1. Pars II, col. 155.

torianismo nomen dedissent iterum baptizari quasi qui minime christianae militiae antea adscripti essent. Epistulam integram hac de re ad Salomonem Baṣrensem episcopum misit, in qua sedulo notat baptismum et eucharistiam et ordinationem omnibus Christianis esse communia, eosque de sola unione Verbi seu potius de modo quo Verbum naturae humanae uniatur inter se litem movere [1]. Saepe etiam Sergium monet ut monasterium Iacobitarum Mar Mattai adeat codices requirendi aut Dionysii Magni vel Gregorii Theologi versiones a Monophysitis exaratas transcribendi causa [2].

Quanquam vicinitatis et quodammodo amicitiae coniunctione nonnunquam miscebantur, non ideo minore zelo et industria quam veteres Nestoriani adversus eos disputabat Timotheus. In plurimis locis epistularum fuse exponit et refellit argumenta quae in gratiam suae doctrinae Iacobitae afferre consueverant, desumpta praecipue ex epistulis Gregorii Nazianzeni ad Cledonium et eiusdem doctoris tractatu *De Filio* [3]. Neque ipsum solum contra Monophysitas decertare satis esse existimabat, sed ubicumque res postulabat viros ad controversiam idoneos mittendos curabat [4].

Chalcedonenses minus formidandi erant Nestorianis quam Monophysitae. Cum Arabes Antiochia et Damasco ubi orthodoxi — seu ut in Syria vocabantur Melchitae — numerosi degebant potiti essent, multi in orientales partes migraverunt quorum in dies tantum accrevit copia ut Bagdadi patriarcha Melchitarum crearetur Εἰρηνουπόλεως titulo insignitus, quo nomine ad litteram vertitur Arabica Bagdadi appellatio : Medinat-as-Salâm. Timothei tempore Melchi-

1. Ms., p. 262. Cf. 455.
2. Ms., p. 434, 466.
3. Cf. etiam Barhebraeum, col. 185.
4. Λογικόν. Ep. ad Sergium. Ms., p. 453.

tarum primatum in urbe regia obtinebat verisimiliter Theodoritus ille cuius gesta Barhebraeus narrat [1]. Eum simul atque Iobum aliquem Chalcedonensem de vi verborum graecorum quae in operibus Aristotelis occurrebant interrogabat Nestorianorum Catholicus [2].

Ad Maronitas Timothei amplissima exstat epistula [3], ex qua, si quidem de ea re dubitatio prudens unquam moveri potuit, manifeste apparet monachos Mar Maronis octavo saeculo monotheletarum errori adhaesisse. Postquam enim se quaternitatem in trinitatem inducere negavit haec addit [4] : « Etiam dualitas hypostaseon in Christo et naturarum nullo modo efficit dualitatem filiorum aut quaternitatem. Nam hypostases constringit et adunat unitas filiationis naturalis et personae, et in unam ἐνεργείαν et proprietatem duas hypostases ego colligi censeo. Non enim secundum impietatem quorumdam in duas voluntates et duas operationes et proprietates ita dividimus Filium Dei ut fiat (in Christo) pugna perpetua propter oppositionem operationum et voluntatum et proprietatum. »

Deinde multis verbis eam opinionem exponit et defendit; ostenditque argumentis historicis ecclesiam orientalem nunquam fidem suam mutare potuisse; denique has condiciones ut eos in suam communionem recipiat, proponit [5] : « Quae necesse est vos recipere haec sunt : confessio dualitatis hypostaseon naturalium in una persona filiationis naturalis in Christo. Secundo : Genetrix Christi Domini nostri qui est Deus super omnia, id est, genetrix Dei simul

1. *Chron. ecclesiasticum*, pars. II, col. 162-164. Saeculo sequenti patriarchatus Melchitarum bagdadensis abolitus est, cum Nestorianorum catholicus Abraham III a chalifa impetrasset ut Chalcedonensibus episcopum tantum retinere Bagdadi liceret : col. 237.

2. Ms., p. 689, 699.

3. Ms., p. 611-657.

4. Ms., p. 624.

5. Ms., p. 656.

et hominis. Tertio : auferatur verbum illud : « qui crucifixus es » a sanctificatione Seraphim sanctorum. Quarto : recipiantur Nestorius, Theodorus Diodorusque, et respuatur Cyrillus ille haereticus. » Quomodo eis litteris responderint monachi sancti Maronis omnino ignoramus; verisimile est eas condiciones graviores visas esse quam ut acciperentur.

Non solum Nestoriani diversa a Chalcedonensium Maronitarum Iacobitarumque commentis dogmata profitebantur, sed etiam inter se de theologicis rebus minime consentiebant. Controversiis quibus ab exeunte saeculo sexto Ecclesia orientalis agitabatur[1] et disceptationibus Ḥenanensium aliorumque dissidentium finem imponere nequiverat Išoyahb III Adiabenus quamvis violentissimum in adversarios impetum fecisset. Immo vero in coenobiis non pauci theologi supererant quorum alii strictim nimis nestorianam doctrinam interpretabantur, alii eamdem ita mitigabant ut in Chalcedonenses propensiores esse viderentur.

Priorum sententiam ut rigidiorem tribus epistulis impugnavit Timotheus quarum primam « ad sacerdotes et fideles Baṣrae et Hobollat de Incarnatione Verbi Dei et deificatione humanitatis eius; et quod non servus sed dominus est Dominus noster Christus etiam in natura humanitatis », reliquas ad fidelem aliquem insignem Naṣr nomine qui Baṣrae degebat [2], misit. Pauli Samosateni, Marcionis Manetisque fautores esse declarat qui hanc doctrinam teneant. Suspicamur inter eos theologos non defuisse qui ita Christianae religionis partes adversus Musulmanos se facilius acturos esse arbitrarentur si Christum, quantum viro Christiano liceret, merum hominem esse profiterentur, eaque de causa naturam humanam Christi propria subsistentia frui, nostraeque omnino similem, nulla allata

1. Cf. *Le Christianisme dans l'Empire Perse*, ch. VIII et IX.
2 Ms., p. 466, 510, 541.

differentia, opinarentur. Fortasse etiam cum haereticis seu potius semipaganis qui in Adiabenae et Assyriae provinciis šahriganê dicebantur affinitate quadam coniuncti erant.

At quamvis error ille Nestorianismo repugnet, minus periculosus Timotheo esse videbatur alia doctrina apud monachos longe lateque diffusa cui nomine Messalianismi appellatae adversatur. Eam opinionem tuebantur etiam viri doctissimi inter quos Abu Nuḥ scriba condiscipulus patriarchae eiusque necessarius et Nestorius episcopus Nuhadrensis. Iosephum Ḥazzayam[1] Ioannem Sabam[2] Ioannemque Daliathensem[3] patronos habebant qui saeculo septimo vixerant et ab Išoyahbo III eiusque successoribus iterum atque iterum damnati erant. Anonymi canonistae ab Assemani recitati verba referimus. « Timotheus catholicus Ioannem cognomento Daliathensem et Ioannem Apameensem atque Ioseph in synodo condemnavit in qua Patribus de illorum temporum statu deque errorum quibus involvebantur tenebris disseruit..... Deinde subdidit monachos quosdam personam angelorum induere, et hominibus illudere et mirum in modum illis errores varios propinare; ex quibus esse Ioannem Daliathensem qui Sabellium secutus credidit Filium et Spiritum sanctum non esse personas sed virtutes tantummodo, et Verbum filium appellari non quod a Patre sit sed quod per ipsum Pater mundum condidisset : adiecitque a creatura Creatorem ipsius videri. Alium praeterea ex eodem grege Iosephum dictum inter cetera dixisse : Si donum Spiritus accipere cupitis, nolite ad orationem et ministerium vos convertere, sed hominum congressum fugite, atque tenebricosa loca petite, ubi ne aviculae quidem

1. *Bibl. orient.*, III, 100. Cf. 'Abdišo', *Epitome Canonum*, pars IX, c. VI. *Lib. Cast.*, n. 124.

2. *Bibl. orient.*, loc. cit. *Lib. Cast.*, loc. cit.

3. *Liber Castitatis*, n. 126. *Hist. monast.*, l. II, c. XXIII. *Bibl. orient.*, III, p. 182.

vox audiatur..... Alicubi etiam ab eodem Iosepho haec praeterea iactari : cum quispiam ad perfectionem pervenerit, illum oratione minime indigere neque Psalmis, neque lectione, neque labore manuum quia iam perfectus est. Compertum autem esse Domini corpus et sanguinem, Spiritus opera per continuam orationem consecrari. Illum quoque affirmare, animam una cum corpore nequaquam creatam esse, sed eamdem cum Deo praeexstitisse; eumdem insuper adversus divinitatem blasphemasse cum affirmaret eam esse visibilem..... Praedicti itaque Patres cum Timotheo congregati anathemati subiecerunt asserentem ab humanitate Domini divinitatem ipsius videri, aut ab alia quacumque creatura, decreveruntque animas post separationem omni sensu carere donec ad sua corpora regrediantur, neque ullam praeter Christi humanitatem perfectionem attigisse in saeculo; eos praeterea condemnarunt qui Iosephi praedicti et Ioannis Daliathensis et Ioannis Apameensis libros legerent, aut in bibliotheca monasterii seu in cella sua haberent, praeceperuntque ut canonicae preces oratione dominica inchoarentur et terminarentur. »

Ex his liquet Timotheum eos triplicis erroris reos existimasse. Primo loco : Ḥenanae Adiabeni sententiam sequebantur de modo quo in Christo naturae adunarentur; docebant enim ab humanitate Iesu Christi divinitatem eius videri posse, quod omnino non intellegi potest quin dicatur etiam naturam humanam Christi propria hypostasi destitui et in hypostasi Verbi Dei subsistere. Qua re perspecta Sahdonas olim opinionem Nestorianorum qui unionem naturarum ἐν προσώπῳ (parṣopā) seu personalem esse existimant, deseruit, ut Orthodoxis Chalcedonensibus qui eamdem unionem ἐν ὑποστάσει (qenomā) seu hypostaticam esse decreverant, adhaereret. Ideo Timotheus hos omnes Apollinarismi insimulat, ut mos est Nestorianis cum in monophysitas et catholicos invehuntur.

Secundo loco Origenis doctrinam de corpore sidereo (σφαιροειδές) Christi, ut quondam Ḥenana, Daliathensis sectatores profitebantur, simulque *hypnopsychiam* seu somnum in quo, secundum Nestorianorum placitum, animae mortuorum ad ultimum usque iudicium merguntur, negabant.

Tertio loco, immoderatum mysticismum professi baptismum, eucharistiam, cetera sacramenta nullius pretii esse credebant, eamque, quam « mentalem » vocant solam orationis nomine dignam esse contendebant; ideoque Meṣalliānē, id est : orantes (graece εὐχῖται) ab adversariis nuncupabantur. Hic iuvabit instrumentum synodi anno 174 Arabum, Christi 790, consecrandi Nestorii in episcopum Nuhadrensem causa congregatae, breviter describere [1].

Nestorius presbyter et monachus coenobii Mār Iozedeq [2] confitetur primum se a patriarcha invitatum esse ut antequam sedem sibi adscriptam occuparet, crimine Messalianismi se purgaret, et pactionem cum episcopis de fide et disciplina ecclesiastica conficeret. Anathematizat deinde Marcionitas, Manichaeos, Paulum Samosatenum, Photinum, Severianos, Messalianos, eos « qui nunc dicunt divinitatem Unigeniti ab eius humanitate videri, humanitatem autem eius simplicem esse et sine compositione, et blasphemant secundum opinionem perversam et atheam Manichaeorum. Natura enim Dei est incorporea, infinita et invisibilis. Natura vero et hypostasis humanitatis Domini nostri corporea finitaque, videri potest ab omnibus rationabilibus creaturis, ideoque fieri non potest ut ipsa [videat] naturam divinitatis eius. Cum enim humanitas Domini nostri non sit sine termino aut sine principio aut sine fine sicut eius divinitas; nec sicut eadem invisibilis, increata, incorporea, consubstantialis Patri, se-

1. Ms., p. 706-708.
2. *Liber Castitatis*, n. 125, 90.

cundum verbum Spiritus sancti, ita nec fieri potest ut videat humanitas Domini nostri divinitatem eius, quomodo Filius Verbum et Spiritus procedens vident naturam divinam. Dixit enim Dominus noster : « Patrem nemo vidit ». Ille solus qui a Deo generatur aut procedit videt Patrem. Anathematizo igitur omnes qui tenuerunt aut tenent aut tenebunt opinionem istam corruptam dum hallucinantur mutationem reciprocam naturarum in Domino nostro Iesu Christo. Similiter infamia noto et anathematizo omnes qui dicunt humanitatem Domini nostri a compositione sua separatam fuisse, et spiritum simplicem exstitisse, non compositum, secundum Verbum Domini nostri qui dixit apostolis suis : Tangite me, et scitote quod spiritus carnem et ossa non habet, sicut videtis me habere ».

Damnat deinde eos qui credunt perfectionem absolutam dari in hoc mundo, sacramenta despiciunt, canones ecclesiasticos transgrediuntur, hypnopsychiam negant[1], animae a corpore separatae operationem gloriam virtutes tribuunt : « non enim est eis aliquid de illis rebus antequam (iterum) induantur corpore suo[2]. »

In eadem synodo aut in alia, decretum tulit Timotheus quod ʿAbdišoʿ refert in Nomocanone[3]. Eam legem sanxit ne quis scriptor librum in publicum dare praesumeret quin prius eum ad Patriarcham vel transmittendum curavisset vel per se detulisset, a quo in disquisitione poneretur :

« Antiquus invaluit mos qui etiamtum in Dei Ecclesia viget ut nemo magistri munus sua sponte sibi praesumat, neve interpretem agere, aut libros componere absque permissu et praecepto illius qui universalis Ecclesiae

1. De Hypnopsychia cf. doctrinam Aphraatis expositam in : *Le Christianisme dans l'Empire Perse,* ch. II.

2. Subscribentium nomina dedit J.-B. Chabot, *Synodicon orientale,* p. 608, n. 3.

3. *Bibl. orient.*, III, p. 81 et sqq.

regimen et gubernacula obtinet. Et hac quidem lege, quicumque commentaria tractatusve elucubrarunt sese continuere. Libros enim quos componebant, expositiones et interpretationes quas elaborabant antequam ad vulgi manus venirent, ad Patriarcham aut transmittebant, aut ipsi per se deferebant : qui si ad id idoneus foret, suo ipse ingenio intellegentiaque eorum libros examinabat : factaque inquisitione, si quidem eae lucubrationes approbationem et coronam mererentur, approbabantur et coronabantur. Sin vero approbatione illa indignas Patriarcha censuisset, reiciebat velut ecclesiasticis legibus contrarias, damnabatque : quemadmodum Sabrišoʿ catholicus Ḥenanae Adiabeni scripta condemnavit et Išoyahbus Sahdonae fabulas commentaque Isaïae Taḥalensis. Nosque similiter blasphemias Ioannis illius Apameensis, et Iosephi, atque Ioannis Daliathensis proscripsimus. Si vero patriarcha ab defectu scientiae examen perficere non sufficeret, ad id operis episcopos eruditos et doctores exercitatos advocabat; et collata opera definiebant, utrum libri suscipiendi an reiciendi viderentur. Et haec sane fuit antiquorum regula, quae nostris quoque temporibus obtinet. Nam Ephraemum qui cathedram et thronum Elamitarum tenet, et ille alter pudicus castusque Rabban Moses presbyter et doctor, tertius etiam doctus et acutus Abu Nuḥ lucubrationes ab ipsis elaboratas antequam a quopiam viderentur, ad nos transmisere, scripseruntque in haec verba : Cognitionis tuae fornace eas explorato, et sapientiae tuae igne expurgato. Et si quidem in Ecclesiae tabulario recipiendas iudicaveris easdem recipi iubeto. Sin hoc honore indignos censueris, fac ut in mare proiciantur aut igne absumantur. Et isti quidem viri Dei amantes sic fecerunt. »

Etsi vero omni ope atque opera nisus est Timotheus orthodoxiam tueri, non tamen conata perficere potuit. Frustra

Origenismi Sabellianismive aut Messalianismi insimulavit doctrinam illam quae Indorum Musulmanorumque « fakirismo » adeo vicina erat. Re quidem vera, libros quos damnavit, quantum novimus, soli monophysitae servaverunt conscripseruntque denuo, sed Ioannem Daliathensem eiusque sodales paucis annis postquam Timotheus e vita decessit, Thomas Margensis, quamvis orthodoxus, ut sanctos viros miraculorumque patratores summa veneratione prosequebatur; aitque se opellam Abu Nuḥ, quem legum ecclesiasticarum observantissimum in decreto synodali quod attulimus ipse Timotheus commendabat, vidisse, qua Ioannem laudibus extollebat[1]. Nestorius Nuhadrensis vitam Iosephi Ḥazzayae scripsit. Išodenaḥ Baṣrensis in *Libro Castitatis*[2] illum episcopum praedicat, quem a Catholico invidentiae causa damnatum esse opinatur. Notandum tamen est Ecclesiam orientalem generatim, post Timothei tempora, rigidiori Nestorianismo, abiectis mitioribus sententiis, adhaesisse.

§ II. — Quid Timotheus bonarum artium fovendarum gratia egerit?

« Timotheus quidem coram hominibus orationes habere non poterat, sed complures de qualibet facultate scripsit tractatus[3]. » Haec de Catholico nostro scribit Mare chronographus, satis frigide, ut opinor; nam inter patriarchas Orientis, nullus est, si Išoyahbum III excipias, qui optimis studiis et artibus magis eruditus imbutusque sit. Apud Abrahamum educatus cum omnibus paene viris qui illo tempore cultus humanitatisque laude maxime floruerunt :

1. *Hist. monast.*, l. II, c. xxiii, text., p. 97.
2. N. 125, cf. 124.
3. Mare, p. 65.

Abu Nuḥ, Pethione, Sergio, ab ingenio excolendo non destitit, vel postquam ad cathedram patriarchalem evectus est. Sic enim Mar Gabrielis scholasticos adloquitur se nimiis negotiis distentum et a liberalibus studiis abductum conquestus[1] : « Mihi vero nullum relinquitur tempus ut rebus istis (philosophiae) admovear. Sum enim in urbe regia, et diu noctuque mundanis curis obnoxius; neque superest mihi vel una hora qua non in agone et pugnis proiectus sim, modo in cogitationibus, modo in laboribus, modo etiam in operibus. » Tantis tamen curis non impeditus est quin opera quae supra memoravimus conscriberet, et epistulas innumeras accuratissime diligentissimeque conficeret, tales quidem quae ab omnibus legi possent, et ad posteros servari[2].

Philosophiam, Scripturam sacram et Theologiam maxime coluit. Opera Aristotelis quae syriace versa erant perlegit, alia ab amicis vel a graeco in syriacum vel a syriaco in arabicum vertenda curavit. In eius epistulis proferuntur : Aristotelis Topica[3], Sophistarum confutatio, Rhetorica, Poetica, De existentia et corruptione; aliorum philosophorum : Porphyrii Isagoge, Olympiodori, Stephani, Sergii, Alexandri libri, principia naturalia corporum « quae scripta sunt a quodam Platonico », Nemesii « de constitutione hominis[4] ». Textus emendatissimos summa cura inquirit, et, quanquam ipse graece non novit, si de quodam verbo graeco controversia movetur, pertinaciter peritos interrogat donec dubium elucidaverit.

1. P. 660.

2. Cf. epistulam tertiam ad Sergium monachum in qua eum deprecatur ut litteras quasdam de agricultura quas ei mandaverat, non transcriberet quod non satis politae essent. Ms., p. 437.

3. Ep. ad Pethionem : Abu Nuḥ vertit τοπικά Aristotelis a syriaco in arabicum. Ms., p. 688, 689, 699 *ibid.* : Timotheus patriarcham Melchitarum interrogat de vi verbi αὐλητρίδας.

4. Homerum poetam recitat, p. 465.

In epistula 47 ad Sergium Elamitam de Hexaplaris versionis codice Gabrielis cura conscripto verbum facit[1], novosque libros Veteris Testamenti[2] in vicinia Ierichuntis decem ante annos casu inventos esse ei nuntiat additque se Iudaeos quosdam eruditos rogasse ut partes horum librorum etiamtum ignotas ab hebraica lingua in syriacam verterent. In epistula secunda ad Naṣr fidelem hebraici sermonis vim adducit ut probet duo verba in syriacis exemplaribus varia quibus nitebatur Naṣr ut Iesum Christum secundum humanitatem suam servum appellaret, eidem verbo in hebraicis exemplaribus respondere[3].

Inter scriptores ecclesiasticos neminem saepius commentatur aut explicat quam Gregorium Theologum, quem legebat tum in iacobitica versione Pauli Cyprii ab Athanasio emendata cum in nova interpretatione Iamborum[4] curis Gabrielis medici exarata. Praeter Iambos alia opera Theologi affert : epistulas ad Cledonium, tractatus De Filio — De Pentecoste — Contra Eunomianos et Arianos — Contra Apollinarem. De Patribus quorum nomina sequuntur mentionem facit Timotheus :

Ambrosii, De fide;

(pseudo) Amphilochii, Adversus Apollinarem;

Athanasii, Ad Iovianum — Contra Apollinarem — Disputatio contra Arianos — Epistula ad Aegyptios;

Basilii magni, Ad Diodorum Tarsensem.

Chrysostomi : Ad Theodorum lapsum, — Ad Olympiadem;

Diodori Tarsensis : De Spiritu sancto;

Dionysii Areopagitae opera (in recensione Athanasii et Phocae);

1. Braun, *Oriens Christianus*, p. 301 sqq. Ms., p. 450, 694.
2. R. Duval, *Revue sémitique*, 1902, p. 173 et suiv.
3. Ms., p. 542.
4. P. 442.

Eusebii, Pro Origene;
Eustathii magni;
Flaviani;
Gregorii Nysseni;
Ignatii;
Marutae, ὑπομνήματα martyrum (ms., p. 656);
Narsetis ܦܢܘܡܣܛܝܩܘܢ, πάνυ μυστικόν, vel πανονομαστικόν? (ms., p. 715);
Nestorii, Contra Cyrillum;
Severi, Contra Grammaticum, — contra Iulianum.

Cum in his versionibus tam philosophicorum quam theologicorum operum verbum graecum verbo syriaco redderetur, et saepissime etiam verbum graecum litteris syriacis transcriberetur, non mirum est Timotheum frequentissime vocibus graecis usum et abusum esse. Quae minus obviae sunt hic notamus :

Ἀνακεφαλαιωθῆναι, ἀποδεικτικά, ἀπόδειξις, ἀπολογία, ἀποπτικόν, ἀπόφασις, αὐθεντία, αὐλητρίδας
γένος, γεωμετρία
δημόσιον, διατριβή, δόγματα, δύναμις
εἶδος, ἕξις, ἐξορία, ἐξορισθῆναι
ζητήματα
θεωρήματα, θεωρητικόν, θεωρία
ἰδιότης, ἱκανόν
κατάστασις, κατάφασις, κατοπτικόν, κεφαλαιωθῆναι, κρίσις
λέξις, μαθηματική, μουσική
πατριαρχεῖον, ὄργανον, οὐσία, ὄχλος
πρῶτον, πολιτεία, πρόθεσις, προοίμιον, πτῶσις, ῥήτορας
στάσις, στοιχεῖον, συλλογισμός, συναμφοτέρων
σαρκά, σοφιστής, σκηπτικός
τετραγώνιον, τόνος, τραγέλαφος
ὕλη, ὑπόθεσις, ὑπομνήματα, ὑπομνηματικόν
φαντασία, χειμών, ܣܘܦܪܣܛܝܩܘܣ, ܣܘܦܝܣܡܐ, ܣܘܦܪܣܛܐ, ܣܘܦܝܣܛܝܩܐ

Scholis scholasticisque Timotheus plurimum favit. In

epistula tertia ad Sergium monachum[1], qui tum scholam Abrahami Interpretis regebat haec scribit : « Tu vero semper mihi scribe omnia quae ad te et fratres tuos scholasticos spectant. Servi enim et famuli eorum, non domini sumus, et ad fomentum eorum misit me illuc Dominus. » Et ad eumdem Sergium cum ad sedem metropolitanam translatus esset haec mandat[2] : « Curam scholarum habe ex tota anima tua. Recordare enim scholam genetricem filiorum Ecclesiae et nutricem esse[3] » ; et alibi : « Cura fratres scholasticos ut pupillam oculi[4] ».

Circa annum 799 Bagdadi, prope coenobium patriarchale Kelilišoʿ scholam constituit. « Rogavimus, inquit[5], Rabban Gabrielem syncellum regis nostri qui dedit nobis tria milia (zuzarum), et alium fidelem qui nobis tria milia dedit quae ab altero[6] habuerat, ipse autem quattuor milia largitus est : quae omnia summatim decem milia efficiunt. Emere autem statuimus in gratiam scholasticorum apothecam et xenodochium quod dicitur Babaï ». In epistula sequenti addit se tertiam partem redituum magistro, et duas partes discipulorum sumptibus tribuisse.

Cum scholasticum quemdam acutum subtilemque prae ceteris fore suspicaretur, eum in urbem Beit Lapaṭam[7] mittebat, aut ad amicum Sergium, apud quem in philosophicis disciplinis proficeret, aut, qui metropolitae intercessione, in florentissimam medicorum scholam admitteretur[8]. Si quem adulescentem summo ingenio praeditum et eruditissimum invenisset, eum, nulla iuvenilis aetatis adhibita ratione,

1. P. 334.
2. P. 403.
3. Ms., p. 408.
4. Ms., p. 436.
5. Ms., p. 444.
6. ʿAun el Djawari. Ms., p. 447 ; cf. Mare, p. 65, 66.
7. Ms., p. 424.
8. Ei scholae praeerat Zistaq.

ad amplissima munera destinabat[1] : « Mitte mihi, iuvenem hunc λογικόν. Fortasse eum creabo metropolitam Heriu (Herat) : ibi enim adsunt Severiani, et opus est pugnatore fortissimo. »

§ III. — Qua ratione Timotheus ius ecclesiasticum ordinaverit et exercuerit.

Canonici iuris monumenta Timotheus collegit et ordinavit, haec sunt : synodicae constitutiones conciliorum patriarchalium ab Isaaco (410) usque ad Ḥenanišoʿ II (775). Ipse XCIX quaestiones de ordinibus ecclesiasticis, de matrimonio et de hereditatibus proposuit et solvit. Išobokt metropolitae Persidis decisiones syriace vertendas curavit; multa etiam decreta in synodis generalibus aut particularibus tulit quae in *Historia Monastica* Thomae Margensis et ʿAbdišoʿ Nomocanone servata sunt, eaque singula in indice operum Timothei notavimus[2].

Sed doctrinam nihil valere nisi usu confirmetur apprime noverat, ideoque totis viribus nisus est ut auctoritas catholici et episcoporum ei subditorum ubique semper ab omnibus agnosceretur. Excommunicationem et interdictum non semel minatur eis qui ei non parent sive clerici aut monachi sunt sive laïci. Haec scribit ad Sergium[3] metropolitam Elam de quodam Abrahamo episcopo Gaï qui, propria relicta, sedem episcopalem Šušterin ambibat :

« Abraham reliquit thronum Gaï cui unctus erat, cum thronum Šušterin concuperet contra legem ecclesiasticam... Fecit in Šušterin ordinationes et perfectiones illegitimas. Cum ergo ea didicerimus per viros Šuštrenses qui erant

1. Ad Sergium Elamitam. Ms., p. 453.
2. Cf. supra, p. XIII.
3. Ms., p. 396, 397.

in urbe regia, scripsimus ei et exclusimus eum ab omni ministerio gradus ecclesiastici..... » Frustra Abraham venit Bagdadum et sibi quaerit potentissimos adiutores : « Rabban Moysen fratrem nostrum et Stephanum Damascenum et Rabban Boktišoʿ et fratrem nostrum Gabrielem ». Timotheus illicitam sedis mutationem non comprobat. Tum dixit Abraham : « Neque Gaï, neque Šušterin cupio, sed in cellam meam monasticam — inquit — redeo. Ego vero ei respondi : Non potes ita agere dignitatis et gradus causa quae accepisti. Et sic ei definivi in verbo Domini : Extra sedem Gaï cui unctus es, non poteris ne in uno quidem ordinum ecclesiasticorum ministrare ».

Multo studio et labore Elamiticam provinciam ad oboedientiam et subiectionem redegit. Pluribus iam a saeculis episcopi Elam et Persidis suis legibus vivere potestate catholici spreta conabantur. Ne schismata quae sub Išoyahbo III et Georgio evenerant hic afferamus, satis erit in memoriam redigere Ephraemum Gondišapurensem cum praesulibus eparchiae suae electioni Timothei obstitisse. Mortuo Ephraemo (circa 795) catholicus Sergium doctorem necessarium suum ecclesiae Elamiticae praefecit. Sed scholastici qui medicinam theologiamque in urbe discebant, ducibus Maraba et Pethione, iussis catholici aperte restiterunt, multis laïcis eos adiuvantibus quod vererentur ne novus metropolita eorum vitia castigaret et pravas consuetudines in re matrimonii emendandas exigeret. Postquam clementia et benignitate rebelles ad bonam frugem adducere frustra conatus est, minacissimas litteras misit, imperatoria ut aiunt brevitate insignes[1] :

« Timotheus servus et minister sedis apostolicae et patriarchalis quae est in urbe regia presbyteris et fidelibus urbis fidelis et magnae Bilafaṭ Pacem Domini (mittit). —

1. Ms., p. 417.

Oboedite praepositis vestris, dicit Spiritus sanctus, et subditi estote eis. Ipsi enim pro animabus vestris vigilant, quasi de vobis rationem reddituri. Hoc est enim mandatum et regula Spiritus sancti. Porro didicimus esse inter vos clericos quosdam et viros de ordine scholasticorum qui audacter adversentur mandatis venerabilis metropolitae, et praeter eius voluntatem remanere in ecclesia et in schola velint. Decrevimus ergo et definivimus : Si quis clericus temere adeo adversatur metropolitae, ut ministerium ordinis sui impleat vel mysteriis vivificis participet antequam id visum sit metropolitae, in verbo Domini non potest, etiamsi sit ex scholasticis vel ex magistris, ita metropolitae resistere ut ministret in uno ex ordinibus ecclesiasticis et sumat mysteria vivifica et habitet intra muros urbis Bilafaṭ praeter mandatum metropolitae : in verbo Domini non potest (ita agere). Si quis vero fidelium clam aut palam adiuverit eos qui contra metropolitam rebellantur, in verbo Domini (id facere) non potest. Firmi estote in Domino et pro nobis orate. »

Perterriti adversarii[1] a contumacia sua destiterunt Sergioque subiecti sunt. Sed reliqua provincia bello fame calamitatibusque adeo laborabat ut episcoporum alii munere suo fungi abnuerent, alii ditiores dioeceses ambirent, aut vicos alienae dioecesis occuparent. Res incompositas in ordinem adducere catholicus tentavit. Plures epistulas conscripsit ut contentionem sedaret quae orta erat inter episcopum Hormizdardaširi Barsahde et collegam eius Ramhormizdensem de quodam pago Duraq quem uterque suae dicionis esse affirmabat. Sergium primum commiserat qui rem in disquisitione poneret. Omni vero dubio sublato, cum Barsahde etiamtum parere recusaret, haec ei minatus est

1. Inter eos Sergii adversarios erant Babaï (p. 424, 699, 711) et Maraba (p. 692).

Timotheus[1] : « Tu eum (collegam) probris afficis in urbe Hormizdardašir. At ego sum in urbe magna, et facile possum contra te agere quidquid volo. Animum superbum et verba arrogantia depone, et humiliare coram omnibus ac coram metropolita tuo. Ad Duraq noli manum admovere neque ingrediaris eius fines, didicimus enim a veteribus hunc vicum non esse episcopi Hormizdardaširensis[2]. »

Quantacumque in eo erat vis imperii non infitiandum est patriarchae saepe consilia fracta esse, tum propter monachorum insolentiam, ut evenit cum Magni Monasterii incolae se in partes Severianorum transituros minati sunt si Išobarnun condiscipulus Timothei ad sedem metropolitanam Nisibis eveheretur[3], tum quia simoniacis artibus indigni competitores optimatum benevolentiam captabant, eisque validissimis adiutoribus utebantur ut in expetita munera invaderent[4].

§ IV. — **Quae fuerit Timothei agendi ratio cum chalifis et proceribus?**

Christiani orientales qui sub Omiadis chalifis persecutionem nonnunquam passi erant, aliquantulum quieverunt cum Abbasidae Islamitico imperio potiti sunt; non ita tamen ut vexationibus et exactionibus innumeris non essent obnoxii. Sed cum al-Mânṣur eiusque successores rem publicam componere instituissent, in immensum crevit scribarum christianorum potestas, quorum opera illiterati Arabes ad

1. Ms., p. 716.

2. Quas mutationes ipse induxerit in partitionem divisionum ecclesiasticarum ignoramus. 'Abdišo' in Nomocanone (*Bibl. orient.*, III, p. 346) asserit Timotheum plures sedes metropolitanas creasse. De una tantum sede Raziqitarum (Rai) in epistulis suis verbum facit. (Ms., p. 444.)

3. Inter plura epistularum loca, cf. p. 443, 445, 446; 718, 719.

4. Aedes patriarcales Bagdadi a praedio 'Umm Dja'afar in coenobium Kelilišo' transtulit, eisque adiunxit hospitium in aegrotantium gratiam (bîmaridan) pro quo aedificando viginti milia zuzarum expendit. (Ms., p. 691.)

tributa persolvenda ceteraque munera obeunda necessario utebantur. Medici etiam et astrologi et philosophi omnes ante saeculum nonum christiani erant, et facile intellegitur quantum apud rudes incultosque et superstitiosos Musulmanos eorum valeret auctoritas[1]. Unde ei ceterorum christianorum et praesulum ipsorum patroni apud chalifas fiebant. Vix unum patriarcham octavo saeculo reperias cuius electionem medicus aut scriba non procuraverit.

Timotheus inter aulicos nonnullos amicos habuit ex quibus nobis noti sunt Abu Nuḥ scriba, ʿAun al-Djauhari argentarius, Ioannes Boktišoʿ, Michael, Merdanšah. Cum Gabriele Boktišo medico huius temporis inclitissimo coniunctissimus fuit, eoque intercessore apud chalifas saepe usus est. « Gabriel, inquit[2], fuit mihi ad Portam Regis nostri victoris in hoc negotio et in aliis, manus et labia et lingua, vel, ut melius dicam, anima et conscientia et intellectus, mihi quidem et universae ecclesiae catholicae. Custodiat Dominus vitam eius et vitam regis nostri victoris multis annis. » Verum non ita ei addictus erat, ut, cum id res postularet, eius contumaciam frangere et iura Ecclesiae tueri dubitaret. Cum plus aequo Musulmanorum moribus indulgeret, eum acriter reprehendit et excommunicavit. Gabriel vero imperata fecit[3]. Adeo Timothei virtus posteris scriptoribus insolita visa est, ut patriarchae victoriam miraculo tantum tribuendam esse censuerint.

Catholicus Bagdadensem aulam frequenter ipse adibat[4]. Chalifae Mahdi (775-785) ita acceptus est ut coram eo saepe de philosophia et religione cum doctoribus musulmanis disputaverit[5]. Dissertatio tamen quam in eius operibus le-

1. Cf. A. Müller, *Der Islam im Morgen- und Abendland*, t. I, p. 509 sqq. Berlin, 1885.
2. Ms., p. 714, 715.
3. Mare, p. 64.
4. Ms., p. 409, 452.
5. Ms., p. 577, 578.

gimus [1] prolixior et subtilior videtur quam ut a Mahdi reapse audita sit. Harun ar-Rachîd qui post Hadi [2] in locum Mahdi suffectus est (786-809) in Christianos minime propensus erat. Antequam regnum obtineret, reliquias martyrum quae in urbe Ḥadita asservabantur comburi et in flumen proici iusserat, quod propositum ne absolveret sive pecunia oblata sive alia de causa deterritus est. Cum autem thronum conscendisset, in christianos saeviit, calumniis pulsus familiaris cuiusdam, nomine Hamdûn [3], qui eos accusavit quod ossa mortuorum adorarent. Rex iratus omnes ecclesias dirui mandavit « quod et factum est Baṣrae, Ailae, et in aliis locis ». Scribae vero et medici apologiam suae religionis fecerunt chaliphamque placaverunt. Si Mare chronographo fides est adhibenda, Zubaida mater Emîn « subscribi a Rašido obtinuit diploma de restituendis dirutis monasterii aedibus, novisque addendis; palmarum ramos crucesque ex auro ac argento effingi fecit, opem praeterea praestitit Sergio metropolitae Baṣrae ad ecclesiam in ea urbe condendam, atque Gabrieli auxilio fuit pro eius in hanc rem peroratione ».

Idem annalium scriptor hanc causam refert cur Timotheus favorem reginae sibi conciliasset [4]. « Cum Rašidum paenituisset iurisiurandi de Zubaida repudianda, doctorum unanimis sententia fuit ut ipsa alicui nuberet quocum nuptias contrahere eidem ipse permitteret : Timotheus autem comperiens hoc Rašidum apprime fastidire, suggessit illam christianae religioni apud se nomen dare quapropter eam morti damnaret, mox eamdem mahumetanismum repetere, quo pacto illam retinere Rašido fas futurum : hoc Timothei scitum doctores Musulmani ratum habue-

1. Ms., p. 308-396.
2. Hadi unum annum tantum thronum occupavit (785-6).
3. Mare, p. 66.
4. *Loc. cit.*

runt; huius rei ergo Timotheus feminae gratiam consecutus est. »

Verumne sit an lepida fabula aliis decernendum relinquimus. Quidquid id est, Haruno acceptissimus fuit patriarcha. In epistula quinta ad Sergium Elamitam[1] refert se a chalifa tribus diebus admissum esse et ab eo quattuor octoginta milia drachmarum dono accepisse. Alibi Sergium monet se ab Haruno vocatum esse dum chalifa in terras Romanorum bellum inferret (die prima maii 799), iumentisque publicis usum esse quo celerius iter conficeret; addit denique : « Oret igitur sanctitas tua ut voluntas Domini nostri perficiatur in nobis, et beneficio communi copiose, non vero detrimento cedat iter nostrum[2] ».

Verisimile est Emin et Mâmun aliunde in christianos propensos benigne senem Timotheum tractavisse, praesertim cum regnante Mâmun (813-833) Georgius Boktišo, Gabrielis nepos, medicus regius, summam a chalifa gratiam iniit. Non tamen sine aliqua amplificatione scribit Mare[3] : « Vixit itaque dominantibus Mahdi, Hadi, Rašid, Amîn, Mâmun, nec fuit rex ad quem non scripserit, aut quem ad fidem non perduxerit docueritque christiana instituta. » Satis Timotheo laudi est quod variorum mobiliumque principum gratiam sibi Ecclesiaeque conciliaverit, auxilium quidem scribarum et medicorum christianorum nactus, quorum tamen potestatem et auctoritatem in protervitatem et contumaciam mutari nunquam permisit.

1. Ms., p. 409.
2. Ms., p. 698.
3. P. 65.

CAPUT TERTIUM

DE NESTORIANORUM MISSIONIBUS APUD EXTERAS GENTES ET CIVITATES.

Quanquam in provinciis orientalibus Christianis perpetuum a vexationibus iniuriisque Musulmanorum periculum erat, eorum tamen nomen perstudiose propagabatur; immo vero, eo magis extra fines dicionis Abbasidarum diffundebatur quod domi sors incolarum peior ac durior in dies fiebat. Hoc etiam notatione dignum est quod saeculo octavo intra fines imperii ipsius Nestorianismo multi fautores adhaeserunt in provinciis in quibus olim vix pauci Nestoriani reperiebantur. Postquam enim exeunte saeculo quinto magistri scholae Persarum Edessenae ab episcopo Cyro Zenonis imperatoris adiutore eiecti erant ex urbe, inque terras Sassanidarum aufugerant, soli monophysitae Mesopotamiae Syriaeque fere totius civitates obtinuerunt, et, ut alibi narravimus, Iacobi Baradaei opera in orientales partes invaserunt[1]. Sed bella a Chosroe II rege suscepta causa fuerunt cur iterum Mesopotamiam et Syriam et Palaestinam post persicos exercitus Nestorianorum missionarii secure possent peragrare.

Anno 628 Išoyahb II Gadalensis patriarcha a multis clericis et monachis comitatus, inter quos erant Išoyahb Adiabenus et Martyrius-Sahdona, legationis causa apud Heraclium imperatorem a Boṛan Persarum regina missus est.

1. Cf. *Le Christianisme dans l'Empire Perse,* ch. VII et VIII.

Dum autem catholicus Alepi apud imperatorem remanet, eius socii regiones vicinas circumquaque percurrerunt, monasteria insigniora ditioresque ecclesias visitantes, et occasione data de pretiosissimis thesauris opima spolia reportantes. Testatur Thomas Margensis in *Historia Monastica*[1] Išoyahb Adiabenum Antiochiae capsam auream in qua sanctorum Apostolorum reliquiae servabantur dolo abstulisse, et in coenobium Beit ʿAbense transferendum curavisse.

In Damascum contenderunt viatores; et antequam urbem ingrederentur, senem quemdam inviserunt qui Nestorianorum doctrinam in illis locis diffundebat, viresque cum eo coniunxerunt. Inde factum est quod post paucos annos in amplissimis civitatibus Syriae Nestoriani sectatorum suorum cohortem saltèm modicam congregare potuerunt (circa 640). Hoc autem multo facilius contigit cum Mesopotamia dicioni Byzantinorum ab Arabibus erepta, Persarum regno deleto, legionibus post Taurum montem recedentibus, ut quondam sub Seleucidis Aramaei omnes uni imperio paruerunt. Chaldaeo viro iam impune licebat Edessae, Alepi aut Damasci mercaturas facere quin explorator Regis Regum haberetur. Libere poterat sub chalipharum potestate ubicumque volebat domicilium collocare, ecclesiam ritu suo dedicare, societatem a religione huius loci praecipua diversam ac distinctam componere.

His addas principes ecclesiasticos civilibus pariter muneribus sub chalifis fungi et « nationis » suae, ut nunc aiunt, in iudiciis publicis aut privatis sive ad aulam regiam sive ad praefectorum fora solos rem agere posse ; unde factum est ut ubicumque fidelium non neglegendus numerus repereretur, ibi quoque orientalis patriarchae iurisdic-

1. L.II, cap. v.

tio vigeret. Maxime vero Nestorianae ecclesiae floruit condicio cum, ex quo Abbasidae regnum accepissent, a Damasco in Bagdadum caput imperii translatum est. Orientalium Syrorum et Persarum multum inde crevit potestas; ingensque copia scribarum notariorum publicanorum Nestorianae sectae adscriptorum praepositos Musulmanos comitati sunt quos ad regendam Syriam et Palaestinam chalifae designabant.

Certum igitur est longe ante Timothei tempus in magnis urbibus nestorianam ecclesiam vel saltem parochiam exstitisse. Hierosolymis, Alepi, et sine ullo dubio Damasci, episcopales sedes erectae erant[1]. ʿAbdišoʿ Sobensis[2] asserit episcopi Damasceni dignitatem Timotheum in metropolitanam auxisse; quod tamen repugnat notitiae Mare[3] ex qua metropolita Damasci unus fuit inter eos metropolitas qui Timotheum consecraverunt. Ibidem ʿAbdišoʿ affirmat metropolitanam provinciam a catholico nostro in Armenia creatam esse, quod satis probabile est. Multos enim Christianos in Armenia vel Nestorianismo vel Melkitismo adhaesisse aliunde notum est. Ceterum in monte dicto Ṭurʿ Abdîn et altiore valle fluminis Zab, quae in Armeniorum finibus sita sunt, orientalis Ecclesia multa coenobia ecclesiasque florentissimas constituerat, et nunc etiam meridionalis Armeniae incolarum magna pars Catholici Nestoriani iurisdictioni subiecta est.

Non iniucundum esset plane scire quae fuerit, saeculo integro post Musulmanorum irreptionem exacto, Christianorum condicio in provinciis Arabiae quondam Persarum imperio subditis. Eo tempore ad ripam meridionalem sinus Persici quam Beit-Qaṭraye vocabant[4] permulti christiani

1. *Bibl. orient.*, t. III, p. 346.
2. *Ibid.*
3. P. 63.
4. *Bibl. orient.*, III, p. 133-134, 136-143.

incolebant : Išoyahb III complures ecclesias nominat : Dirin, Mešamhig, Talwan, Ḥaṭṭa, Hagar, in quibus tamen ne graviora tributa persolverent non pauci christianam fidem deseruerant. Anno 676 Georgius catholicus synodum habuit in regione Qaṭarensium[1] cui quinque episcopi huius provinciae subscripserunt; hi sunt : metropolita Qaṭarensium et episcopi Dirin, Mazon, Hagar, Ḥaṭṭa. In mediterraneis provinciis quaedam tribus Arabum ante Mahumetum Christianismo nomen dederant[2]. Septimo saeculo Ḥirae civitas fere tota Christianorum erat, sive Nestorianorum sive Monophysitarum[3]. Eadem de Nedjran et Yemen dicenda sunt.

Timothei tempore suspicamur numerum Christianorum in his regionibus in multo minorem redactum esse; nec dubitandum est vix paucos Nestorianos tunc inveniri apud Arabes vagos, praeterquam in vicinio Ḥirae. In urbibus vero ad mare positis, ecclesiae nondum dirutae erant. Timotheus in Yemen et Sen'a episcopos ordinasse certum est. Urbs autem Nedjran de qua bis in epistulis Timothei[4] agitur, utrum sit civitatis Nedjranitarum in Arabia meridionali sitae caput an colonia eorumdem « ad latus Ḥirae posita », id est in vicinia Ḥirae, ignoramus.

Saeculo sexto notissimus viator Cosmas Indicopleustes dictus apud Indos christianos invenit[5] : « In Taprobana insula ad Interiorem Indiam, ubi Indicum pelagus exstat, Ecclesia Christianorum habetur, ubi clerici et fideles reperiuntur. An ulterius etiam, ignoro. Similiter in Male, ut vocant, ubi gignitur piper. In Calliana vero (sic nuncupant) episcopus est, in Perside ordinari solitus.

1. *Synodicon orientale*, ed. Chabot, p. 482.
2. Cf. Evagrii, *H. E.*, l. VI, cap. XXII.
3. Cf. *Le Christianisme dans l'Empire Perse*, p. 206, n. 4,
4. Ep. *Ad Sergium monachum*, p. 461; ep. *Ad Maronitas*, p. 656.
5. *Topographia christiana*, *Patrol. graec.*, t. LXXXVIII, l. III, col. 170; l. XI, col. 446.

Similiterque in insula quae Dioscoridis vocatur, in eodem mari Indico sita..... clerici reperiuntur ex Perside, ubi ordinantur, eodem transmissi, ibi etiam Christianorum multitudo versatur..... Itemque apud Bactros, Hunnos, Persas, reliquos Indos... Magna est oceani insula, in mari Indico sita, quae ab Indis Siedeliba, a Graecis Taprobana vocatur... exstat ea in insula Ecclesia Christianorum advenarum ex Perside, ac presbyter in Perside ordinatus, eoque missus; diaconus item cum reliquo ecclesiastico ministerio ».

Išoyahb III Adiabenus patriarcha (circa 660) exprobrans Simeonem Rewardaširensem metropolitam quod in se rebellis esset, haec scribit[1] : « Hoc etiam in memoriam revoces velim, frater Deum diligens, quod sicuti fores impositionis manus episcopatus coram multis Indiae populis occlusistis, donum Dei propter corruptibile lucrum ad alendam corporis libidinem prohibentes; ita et superi fores doni Domini coram vestra indigentia occlusere... At in vestra regione ex quo ab ecclesiasticis canonibus defecistis, interrupta est ab Indiae populis sacerdotalis successio; nec India solum quae a maritimis regni Persarum finibus usque ad Colon, spatio ducentarum supra mille parasangarum extenditur, sed et ipsa Persarum regio... in tenebris iacet ».

Saepe in epistulis suis Timotheus memorat monachos qui « in pera et baculo tantum mare transeunt[2] in Indos et Sinas ». Eorum exemplum affert ut episcopum quemdam vituperet cui sedem longinquam Sahrbazih assignaverat, is autem profectionem in dies differebat quod nondum sufficientem pecuniae copiam collegisset. Quanquam tamen Ecclesiae in India multae florentesque exstabant[3], notanda sunt quae Cosmas Indicopleustes primus animad-

1. *Bibl. orient.*, t. III, p. 129 et 131.
2. Cf. ms., p. 423 sqq.
3. Cf. ms., p. 647. *Canones*, quaestio xxxi.

vertit, et ea historiarum scriptores postea comprobarunt : « Indigenae vero et reges alieni cultus sunt [1]. » Nec mirum est. Indorum enim religio antiqua et arcana erat ; eorum liturgia amplissima et bene ordinata. « Castarum », ut aiunt, regimini maxime adversabatur doctrina christiana quae omnes homines apud Deum pares esse indicit; denique prae ceteris gentibus humanitate se praestare existimabant et reliquos populos ut rudes et incultos despiciebant.

Musulmani etiam quanquam gladio non minus ac lingua praedicabant operose et aegre apud Indos penetrare eosque ad fidem suam adducere potuerunt : inde iudicandum est quanto difficilior exstiterit monachorum orientalium opera. Re quidem vera tam Nestoriani qui prius, quam Iacobitae qui serius advenerunt, litora tantum occupaverunt nec mediterraneas provincias ingressi sunt.

Melior fuit Christianorum condicio in regionibus ad orientem et septentrionem Khorasani persici sitis. Iam a quinto saeculo in urbe Merw constituta est Ecclesia quae omnium harum provinciarum metropolis fuit. Episcopus Barnabas vel Barsabas concilio Dadišoʿ subscribit anno 424 [2], simul ac eius collega urbis Herat. Inde tamen non videntur ante saeculum septimum missionarios in gentes quae Persis non erant subiectae profectos esse. Chronicon a Guidi editum sub Maremmeh catholico (ann. 643/6) memorat [3] Eliam metropolitam urbis Merw permultas e Turcis aliisque gentibus ad fidem convertisse. Multa miracula de eo narrabantur; dicebaturque eum flumen quoddam attigisse (forte Oxum), tribus finitimas baptizasse, deinde sa-

1. *Patr. Graec.*, l. LXXXVIII, col. 446.
2. *Synodicon orientale*, p. 285.
3. *Chronicon anonymum*, ed. Guidi, in *Corp. Script. orient.*, versio lat., p. 25-26. Cf. Noeldeke, *Die von Guidi herausgegebene syrische Chronik, übersetzt und commentiert*, p. 39. Vindobonae, 1893.

cerdotibus diaconisque constitutis in suam regionem reversum esse.

Saeculo octavo christiana fides adeo profecit ut patriarcha Ṣlibazeka duas eparchias metropolitanas praeter eparchiam Maruensem : Herati et Samarkandae[1] constituerit. Nec dubitandum est quin plures dioeceses singulae eparchiae continerent; inter quas certissime Bactrorum sedes episcopalis numeranda est.

Timotheus sollicite operam dedit ut ecclesiae ante se apud Hunnos et Turcas creatae maximum incrementum acciperent. Haec scribit Mare[2] : « Timotheus ḥaqânum regni Turcarum regesque alios ad fidem adduxit a quibus epistulae ei adveniebant ». Cuius rei Timotheus ipse verbum facit ad Maronitas[3] : « Etiam in diebus nostris [ita evenit]. Ante hos decem annos servitutis ministerii nostri, duodecim enim abhinc annis plus minus sum in hac servitute, rex Turcarum cum omni paene dicione sua errorem antiquum atheum reliquit et christianitatis domesticus factus est... petivit a nobis epistulas (forte corrigendum : per epistulas) ut metropolitam crearemus in eius regione; quod quidem fecimus[4]. Epistulam nostram mittemus vobis, si Deo placuerit ». Multos post annos idem patriarcha ad Sergium metropolitam scribit : « Spiritus his diebus metropolitam pro regione Turcarum unxit[5] ».

Missiones etiam direxit ad maris Caspii oras, in Hyrcaniam, Deilôm et Mûqân, monachosque Beit ʿAbenses quibuscum summa amicitia coniungebatur huc deputavit. Missionariorum nomina et gesta fuse descripsit Thomas Margensis tum ex epistulis Timothei quorum magna pars deperdita aut nondum inventa est, cum ex annalibus coe-

1. *Bibl. orient.*, III, p. 346.
2. P. 64.
3. Ms., p. 656 ; cf. p. 647.
4. Id igitur evenit anno 782/3.
5. Ed. Braun, *Oriens Christianus*, n° 2, p. 308.

nobii Beit ʿAbensis [1]. Omnium primus in has provincias Šubḥališoʿ profectus est, quem quod syriace, arabice, persice doctus esset, patriarcha in Deilôm et Gurgân misit. Multas urbes et loca ad fidem convertit, ecclesiasque nonnullas constituit et ordinavit. Quibus compositis et presbyteris diaconisque instructis, ipse in extremas orientis partes perrexit. Dum vero in Assyriam ad visendum patriarcham suosque redit a barbaris occisus est. Facinus ita memorat Timotheus in epistula quam supra recitavimus : « Šubḥališoʿ (metropolita) Deilomitarum cinxit coronam martyrii ».

Sine mora addit : « Alium (metropolitam) misimus in Gurgân... misimus eius (Šubḥališoʿ) loco decem monachos ex Beit ʿÂbê [2] ». Rem paullo aliter narrat Thomas : « Duo alii monachi [3], Qardag et Iahbalaha nomine post mortem Šubḥališoʿ in easdem regiones missi sunt, et monachos ex eodem coenobio Beit ʿAbensi quindecim secum duxerunt e quibus postea septem episcopos consecrarunt [4] : Thomam, Zachaeum, Sem, Ephraemum, Simonem, Ananiam Davidemque. » Sed magna difficultate Qardag et Iahbalaha afficiebantur. Adeo enim sedes episcopales inter se distabant ut, cum novus episcopus crearetur, aegre tres episcopi qui ad eum consecrandum canonibus ecclesiasticis requirebantur convenire in unum possent. Qua de re Timotheum certiorem fecerunt ut nodum expediret. Rescripsit catholicus ad Iahbalaham : « Quandoquidem episcopi ordinatio trium episcoporum praesentiam omnino exigit ; vos autem in eis terris estis, in quibus habere hunc episcoporum numerum non potestis, haec facultas vobis a verbo Domini nostri quo omnia constant et gubernantur conce-

1. *Hist. monast.*, l. V, cap. I-XII.
2. *Oriens Christianus*, n° 2, p. 305.
3. *Historia monastica*, lib. V, cap. VI.
4. *Ibid.*, lib. V, cap. VII.

ditur : episcopum quemcumque elegeritis tibi simul et episcopo Qardag fas sit consecrare, et pro tertio episcopo codex evangeliorum super sella ad dextrum latus collocetur; et hoc ritu per virtutem Dei primi episcopi consecrationem perficitote. Alius autem nonnisi a tribus episcopis consecretur [1]. » — Iahbalaha in dissitis regionibus evangelium praedicavit [2], ubi, secundum traditionem monachorum Beit ʿAbensium, nec frumentum nec hordeum seminabatur, sed oryza tantum qua panem incolae conficiebant.

Alius monachus eiusdem coenobii [3], Elias nomine, profectus est in provinciam Mûqân quae est planities ab inferiore Araxe rigata. Huius regionis cives arbores colebant et idolum Iazd vel Iazdad adorabant, si fides Thomae Margensis adhibenda est. Cum vero Iazd sit nomen Dei sermone persico, conicimus cum rerum naturalium cultu, etiam religionem Mazdaeorum incolas Mûqân professos esse. Quidquid id est, Elias nihil veritus ilicem immensam quam summo honore prosequebantur arrepta securi subvertit et deiecit, surculos quoque eodem ferro succidit. Ecclesiam deinde florentem apud eam gentem constituit.

A Turkestano profecti, missionarii alii eodem tempore Mongoliam et Tibetum peragraverunt. Hoc aperte dicit Timotheus [4] ad Maronitas ubi de additamento ad Trisagion cum eis controversiam movet : « in omnibus provinciis Babel, Pars, et Atur, in omnibus regionibus ubi sol oritur, et apud Indos et apud Sinas, et apud Tibetas, sicut apud Turcas et in omnibus civitatibus (πολιτείας) quae sub throno illo patriarcali stant... hoc trisagion semper sine additamento... dictum est ». Unde liquet emendationem quam loco cuidam alius epistulae [5] proponit Braun inutilem esse,

1. *Bibl. orient.*, t. III, p. 163, n. 1.
2. *The Book of Governors*, ed. Budge, text., p. 269.
3. *Hist. monast.*, lib. V, cap. VIII, X, XI.
4. Ms., p. 647.
5. *Oriens Christianus*, n° 2, p. 308.

et vocabulo : Beit Tuptayē significari regionem quam gallica lingua Thibet nuncupamus. Ita ergo hunc locum interpretamur : « Spiritus (sanctus) in his diebus metropolitam ad Beit Turḥaye (Turkestan) unxit, et in promptu sumus ut ungamus alium (metropolitam) ad Beit Tuptayē (Thibet). » — In hisce provinciis missionarii nestoriani non solum fidem christianam sed etiam litteras profanas secum deferebant. Ipsas quoque litterarum notas a Syris orientalibus barbarae gentes mutuatae sunt, unde proveniunt figurae litterarum quibus medio aevo populi qui Asiam fere totam in suam potestatem redegerunt usi sunt : Turci Uiguri, Mongoli, Mandchuenses.

« D'autre part, inquit D. Bonin[1], le nestorianisme a par son cérémonial, peut-être aussi par certains de ses dogmes, très probablement influencé la plus célèbre des religions asiatiques, le lamaïsme. La réforme de Tsong-Kapa à la fin du XIVe siècle paraît s'en être inspirée au moins dans son rituel; le réformateur, d'après certaines traditions, aurait été en relations avec un prêtre venu de l'ouest, au nez proéminent et au regard brillant, qui semble bien être un Syrien..... Quoi qu'il en soit, c'est la seule façon vraisemblable d'expliquer l'étrange ressemblance entre le lamaïsme et le christianisme, si souvent constatée. »

Notissima inscriptio Si-ngan-fu sinico-syriaca (anni 780) cuius auctoritatem nemo in dubitationem vocat, nos docet anno quo Timotheus patriarchatum obtinuit religionem christianam magnum incrementum iamdudum apud Sinas accepisse[2]. In Sinica parte memorantur vita Iesu Christi eiusque doctrina : tum libri XXVII Novi Testamenti, baptismus, signum crucis, pulsatio crepitaculi, barba sacerdotum,

1. *Journal Asiatique*, 1900, p. 592.

2. Pauthier, *L'Inscription syro-chinoise de Si-ngan-fu*. Paris, 1858. Mgr Lamy et le P. A. Gueluy, *Le Monument chrétien de Si-ngan-fou, son texte et sa signification*. Bruxelles, 1897. Utrumque opus, saltem quod ad syriacam partem attinet, nonnullis mendis scatet.

corona capillorum radenda in summo capite ; item : hominum nobilium et ignobilium coram Deo aequa dignitas, paupertas monachorum, eleemosyna pauperibus eroganda, ieiunium observandum, denique : oratio septies in die recitanda pro vivis et mortuis, dominica die liturgia celebranda. Sinarum lingua, christianismus « splendens religio » vocabatur[1].

Postea narratur sub Thaï-Tsung (627-650) A-lô-pen[2] quemdam e Syria in Tchang-ngan anno 635 advenisse. Rex eum iubet a primo ministro regni in urbem introduci; libri quos afferebat sinice vertuntur, approbantur, eosque in publicum diffundendi licentia missionario nestoriano conceditur. Anno 638 edicto regio decernitur ecclesiam aedificari in platea dicta « pacis et iustitiae », in urbe Si-ngan-fu, vigintique et unus sacerdotes eliguntur qui in ea ministerio suo fungantur. Simulacrum regis ad parietem ecclesiae depictum est.

Kao-Tsung (650-683) iubet ecclesias in omnibus provinciis exstrui, et A-lô-pên donis honoribusque cumulat[3]. Verum 698-699 buddhistae prosperos exitus consecuti sunt, paganosque et christianos oppresserunt. Sed rursus anno 713/4 devicti et proscripti sunt, et imperator Hiuen-Tsung christianis plurimum favit. Anno 742 munera amplissima ecclesiis distribuit easque propriis sumptibus ornavit; effigies quoque imperatorum in eis pingi voluit. Vix dubitandum est Hiuen-Tsung nestorianismi sectatorem fuisse. Nec minus prospere res christianorum cesserunt sub Sou-Tsung (756-762), Taï-Tsung (763-779) et Te-Tsung (780-783). In inscriptione nominatur vir quidam insignis I-seu nuncupatus qui, etsi buddhismo adhaesisse videtur,

1. Pauthier, *op. cit.*, p. 9-13. Lamy, *op. cit.*, p. 71-74.
2. Haec vox forte cum syriaco ܡܠܦܢܐ, doctore, conferri potest.
3. Pauthier, *op. cit.*, p. 19. Lamy, *op. cit.*, p. 75.
4. Lamy, *op. cit.*, p. 79. Transcribitur nomen sinicum I-seu per Izdbouzid qua de causa nescio.

christianorum fidelissimus potentissimusque patronus exstitit.

Monumentum erectum est, ut fert pars syriaca[1], diebus patris patrum Ḥenanišoʿ catholici patriarchae, de cuius morte nondum in Sinas notitia pervenerat. Indicem tradit cleri Sinensis. Refert enim cum nomine Ioannis episcopi, nomina trium chorepiscoporum Kumdan civitatis regiae et provinciae Sinestan. Item tres archidiaconos — quod mirum est — memorat, viginti circiter presbyteros sive saeculares sive regulares, quadraginta ferme viros quos clericos vel monachos fuisse existimandum est[2]. Hinc discimus quanta fuerit Ecclesiae Nestorianae apud Sinas orientales prosperitas. Episcopalem sedis dignitatem in metropolitanam auxit Timotheus, et Davidem Beit ʿAbensem ei praefecit[3].

Quanquam haec provincia remotissima erat, nihilo tamen minus efficaciter patriarchae imperio subiciebatur, qui episcoporum designationem sibi reservabat, eosque frequenter apud se vocabat, et nunquam de iure suo decedebat, immo tributa et dona saepe ab eis repetebat. Tantum apud eas ecclesias valebat catholici auctoritas ut quaestiones canonicas in dissitissimis regionibus exercere potuerit. Haec scribit Timotheus[4] : « Non impossibile est (scire utrum mortuus sit maritus necne), etiamsi apud Indos aut Sinas commoretur. Scribitur enim, et res indagatur ab episcopis et metropolita et patriarcha; et ubicumque erit vir, cogetur definitionibus Verbi Dei et canonibus usque dum revertatur ad uxorem suam, vel mittat ei alimenta, sicut aequum est[5] ».

1. Lamy, *op. cit.*, p. 83-124. Pl. 1 et 2.
2. Numerus clericorum et quaedam nomina incerta sunt. Cf. Lamy, *op. cit.*, p. 112.
3. *Bibl. orient.*, III, p. 143, Ms., p. 426.
4. Quaest. XXXI, p. 64.
5. Cf. locum Theodosii qui Timotheo secundus successit, ab Assemani *Bibl.*

Non nobis propositum est narrare quà ratione Ecclesiae Sinarum, quamvis persecutiones saevissimas nono saeculo secundum scriptores Arabes passae sint, adeo floruerint ut superstites adhuc fuerint cum saeculo decimo tertio Marco Polo Venetus et Rubruquis, decimo quarto Ioannes de Monte Corvino in regiones antea occidentalibus ignotas primi penetrarunt. Ex eis quae exposuimus satis probabiliter inferri potest nullam medio aevo exstitisse Ecclesiam, nisi forte Romanam excipias, quae longius extra patrios limites processerit [1].

orient., IV, p. 439: III, p. 617, recitatus : « Alii porro metropolitae nempe Indiae, Persidis, Maru, Damasci, Raziqitarum et Hariunitarum et Samarkanditarum in longinquis dissiti regionibus, quibus obstant montium iuga latronibus infesta, et maria naufragiis ac tempestatibus funesta, ne sicut ceteroquin cuperent venire ad nos valeant : istiusmodi curent consensionis unionisque litteras ad Patriarcham quolibet sexennio semel mittere, atque in eisdem communia negotia locorum suorum opportuno remedio indigentia exponere : dabuntque operam ut ex omnibus urbibus maioribus ac minoribus mittatur ad Patriarcham tributum secundum facultates et Patrum canones pro expensis domus Patrum. » (Ex ʿAbdišoʿ, *Coll. can.*, tr. VIII, c. XIX.)

1. Saeculo decimo tertio monachus Sinensis sub nomine Iahbalahae III catholici cathedram occupavit. Cf. J.-B. Chabot, *Histoire de Iabalaha III*. Paris, 1895.

XCIX CANONES TIMOTHEI I[1].

Iterum scribimus regulas iudiciorum ecclesiasticorum et hereditatum quas confecit venerabilis [vir] Dei Mār Timotheus, catholicus patriarcha Orientis, anno vigesimo sexto patriarchatus sui, millesimo centesimo sexto decimo Graecorum [2] .

Apologia cur hactenus impeditus sit ne scriberet, cum pluribus vicibus ab eo id petiissent Patres (episcopi) et fideles.

Christiani mystice sunt in regno caelorum. In regno quidem caelorum non est vel una controversia aut disceptatio. Ubi autem non est controversia nec disceptatio, non magis videre est solutionem iudiciorum. Inter Christianos ergo superfluaé et inutiles sunt solutiones iudiciorum mundanorum. Filiis autem huius mundi utiles sunt solutiones iudiciorum et definitiones, ut alicubi docet Apostolus divinus et demonstrat. « Si enim sunt inter vos invidiae et lites et iurgia, nonne corporei estis et in carne ambulatis? Si vobis est iudicium de rebus mundi, qui viliores sunt in Ecclesia (p. 746) eos in tribunali sedere iubete[2]. Ad perseverantiam vestram dico ».

Verum ita loquitur ad filios huius mundi qui modo laedunt, modo laeduntur inter se et mutuo. Filiis autem lucis qui neglegunt res terrae et terrestria, diligunt vero et amant res caeli et caelestia, et exuerunt veterem homi-

1. E cod. Musei Borgiani K. VI, 45, p. 745-778.
2. 804/5.
3. I Cor. vi, 4.

nem qui corruptus erat passionibus erroris, et induti sunt hominem novum qui renovatus est cognitione et similitudine Creatoris sui, superflua omnino nec necessaria est solutio iudiciorum sed nec definitio.

Quomodo enim requirat solutionem iudicii aut definitionem qui cum in gena dextera percussus fuerit, conversus etiam sinistram offert? Quomodo petat iudicium et definitionem qui laedenti se cum tunica pallium etiam largitur? Aut quomodo ad tribunal seu δικαστήριον curret qui quodcumque sibi est pauperibus distribuit et erogat, crucem suam in humero gestat, mundo et omnibus quae in eo sunt mortuus est, secundum decretum Regis caelestis eiusque definitionem?

Cum autem mystice et typice tantum non re vera Christiani nunc sint in regno caelorum, hactenus passionibus mortalitatis et concupiscentiis [organi] huius carnalis, modo concupiscentiis divinis [muniti] et instructi; modo debilitate et passivitate naturali, modo pugna [adversus principes [1]] huius mundi concutiuntur; quandoque pugnant inter se, quandoque mutuo impugnantur. Pauci et rari caelestes sunt, multi vero et permulti terrestres et terreni. Idcirco quidam [non] coram sanctis, sed coram impiis iudicant et iudicantur quasi qui non possideant iudicia et decreta quae conveniant huic mundo et mortalium moribus. Ita autem (agentes) transgrediuntur legem apostolicam et divinam quae imperat fidelibus, eosque etiam prohibet ut coram impiis (causam agant), sed potius coram sanctis iudicentur et iudicent ei a quibus (p. 747) etiam angeli, simul et mundus totus iudicabuntur [2].

Ideo, petitione fratrum nostrorum episcoporum et metropolitarum : dico ego : Venerabilis Mār Iacobi episcopi metropolitae Perath-Maišān et Mār Ḥabibā, episcopi me-

1. Suppl. ܠܘܩܒܠ ܪ̈ܫܐ
2. I Cor. vi, 2-4.

tropolitae Raziqenorum, et fidelium multorum ex eis qui sunt remoti et vicini — ideo consilium cepi rem solutionis iudiciorum et definitionum aggredi propter duo : primum ut satisfaciamus votis eorum qui ad hoc opus multoties me incitaverunt et hortati sunt, deinde ut causam auferamus transgredientium leges divinas, eorum qui absentiam solutionum iudiciorum et legum (allegantes) semper ad aulas et fora exterorum (infidelium) festinant, propterea quod forte non sint iudicia et solutiones quae huic mundo apta sint, et ut loquar sicut Scriptura divina : « Propterea quod non sit Deus in Israel proficiscuntur ut interrogent Beelzebub deum Accaron[1]? » de quo quondam rex quidam idololatra reprehensus est a Deo per os Eliae prophetae ignei.

His igitur duobus de causis coactus sum aggredi ὑπόθεσιν hanc propositam, sed prohibitus sum ne hoc (opus) aggrederer propter multas causas. Primo propter debilitatem propriam quae (provenit) a congerie dierum et annorum : Sexaginta enim quinque annos plus minus in hac vita duxi. Tum propter perpetuitatem morbi qui adversum me invaluit. Deinde propter angustias conscientiae[2] et persecutiones, et propter calamitates quae mundum et ecclesiam circumdant, et dolores quorum quibusdam lacrymis et gemitibus potius, quam verbis convenientibus decebat respondere. Rursum propter negotiorum intricationes quibus implicabar et intricabar, sive negotiorum communitatis et communium sive privatorum et peculiarium res agebatur. Maxime vero impeditus sum et cohibitus simul quia mihi deerat scientia sufficiens et cognitionis similium negotiorum possessio.

(P. 748) Non enim sunt causae minores et circumscriptae

1. IV Reg. I, 2, 3, 6.
2. Leg. ܐܘܠܨܢܐ

quae investigationem exactam et inquisitionem (tantum) exigant : verum multae sunt et in infinitum diversae; si autem difficile est has causas negotiorum colligere, multo difficilius est earum agere solutionem. Illud autem omnium difficillimum est : homines inter se dividuntur et separantur plagis, regionibus, provinciis, lingua, moribus legibusque; singuli autem in moribus et legibus quibus educari solent volunt eis esse conversationem et vivendi rationem; neque omnino recedunt aut elongantur a (consuetudinibus) in quibus educari solent, nec praeterquam aegre et magno periculo mutationem accipiunt principiorum quibus fundati (instituti) sunt. « Altera enim natura est consuetudo », ut recte dictum est.

Dum enim singulae naturae et species creaturarum aequalitatem possident in proprietate eiusdem speciei (differentia specifica) — ita ut vigor et robur omnium sit leonum, timor autem omnium leporum, dolus vero et celeritas omnium vulpium — homo, solus, inter omnia terrestria ita constituitur : aequalis per naturam suam propter creationem quam accepit : sed varius proprietatibus et actibus suis, vi rationis et liberi arbitrii quae a Creatore suo accepit. Quis ergo possit adunare et colligere quod in se adeo diversum est et varium, praeterquam virtute Eius qui hoc adduxit ad existentiam et stabilitatem?

His igitur rationibus et aliis similibus impeditus eram et cohibitus ne hanc rem aggrederer. Verumtamen ut petentium sententiae morem gererem et causam scandalorum domesticorum auferrem, ut iam dixi, hunc laborem suscepi. Primo in Deo confisus qui creaturis suis omnium bonorum principium est, deinde confisus etiam in auctoritate (παῤῥησία) qua (gaudent) apud Deum qui me rogaverunt ut hoc negotium susciperem. Sicut enim spectatores agonis et athletarum vocibus et clamoribus et incitamen-

tis (p. 749) adiuvant pugnantes, ita etiam venerabiles fratres nostri et amantissimi orationibus adiuvabunt nos coram Deo ut det robur debilitati nostrae et auxilium quod a se [provenit].

Ratio autem sermonis erit ad modum quaestionis simul et solutionis, non per modum difficultatis et explicationis, ut ab omnibus intellegamur et comprehendamur, non ab eis tantum qui docent et interpretantur libros, sed etiam ab eis qui omnino indocti sunt, immo et illitterati.

Quaestio prima. — Quo ordine debent stare presbyteri et diaconi?

Solutio. — Omnis presbyter et diaconus sicut imposita est super eum manus episcopi aut metropolitae aut patriarchae, ipsa die ordinationis et deinceps similiter, ita stabit in ordine supra socium suum et sub socio suo, sive annis maior sit, sive minor socio suo. Si iuvenis quidam ordinationem presbyterorum accepit ante senem quemdam, et hic senex donum presbyteratus accepit post illum iuvenem, iuvenis quidem supra senem, hic vero sub iuvene stabit. — Presbyteros vel diaconos qui non clerici sunt ecclesiarum urbanarum, sed forenses, sicut placuerit eorum episcopo, ita eos collocet. Haec porro secundum ius ita sint. — Verum si quis presbyter aut diaconus voluerit fratrem suum honorare, memor regulae apostoli divini qui dixit : « Omnis homo socium suum honoratiorem se existimet [1] » nihil est quod eum ab hoc faciendo prohibeat.

Quaestio secunda. — Si accipiantur presbyteri vel diaconi extranei, alterius eparchiae, quomodo et qua ratione oportet eos in ordine stare?

Solutio. — Regula et norma haec est : Sub clericis eparchiae et civitatis apud quam venerunt, stent. Qui

1. Rom. xii, 10.

enim sunt huius eparchiae primogeniti sunt, illi vero peregrini et hospites. Verumtamen si velint eparchici (ἐπαρχικοί) (p. 750) seu filii eparchiae illos honorare ordine, possunt (ita agere). Si autem illi violentia sibi vindicant honorem, constringantur maxillae eorum freno Verbi Dei usque dum absistant ab audacia sua.

Quaestio tertia. — Si quis episcopus transgressus fuerit in dicionem collegae sui et fecerit ordinationem, quid agetur?

Solutio. — Etiam ordinatio omnino irritetur, episcopus vero interdicatur et suspendatur a ministerio ordinis sui.

Quaestio quarta. — Si quis ex quacumque eparchia relinquat episcopum proprium et abiens recipiat ordinationem sacerdotum aut diaconorum ab episcopo alio, quid oportet circa eum fieri?

Solutio. — Id omnino fieri non debet. Fornicatio est publica et adulterium (prostitutio) in oculis omnium. Igitur nullo prorsus modo ministret in ordine sacerdotii quod recepit, sed coerceatur frenis Verbi Dei, ipse et episcopus qui eum ordinavit, annum unum integrum. Postea, si id visum fuerit episcopo qui eum excommunicavit, sit ultimus ordine omnium clericorum qui ab eo (episcopo) receperunt ordinationem legitime, aut recipient: si presbyter est, ultimus omnium presbyterorum; si diaconus est, ultimus omnium diaconorum.

Quaestio quinta. — Fidelibus qui sine causa iniuriis afficiunt episcopum vel presbyteros vel diaconos, quid agetur?

Solutio. — Excommunicentur (interdicantur) Verbo Dei ab Ecclesia et sacramentis, et carne et vino per mensem dierum (id est: integrum), quia sine causa sacerdotibus Dei conviciati sunt. Postea stent in sacco et cinere et dent eleemosynas pauperibus secundum facultatem suam, et interdictio eorum solvatur.

Quaestio sexta. — Presbyteris et diaconis qui sine causa conviciati sunt episcopo, quid agetur?

Solutio. — Interdicantur a ministerio gradus sui, et a manducatione carnis et potatione vini duobus mensibus dierum. — Postea stent in sacco et cinere et dent eleemosynas pauperibus (secundum facultatem suam) quia ausi sunt conviciari patri suo spirituali, et audacia sua (p. 751) se ipsos Chanaan et Cham pares fecerunt.

Quaestio septima. — Episcopis qui calumniantur et exprobrant sine causa metropolitam, quid agetur?

Solutio. — Interdicantur a ministerio gradus sui duobus mensibus, et a manducatione piscium et potatione vini, et confiteantur culpam suam quia conviciati sunt fratri suo seniori in Domino, et dimittatur eis.

Quaestio octava. — Eis qui exprobrant et calumniantur patriarcham sine causa, quid agetur?

Solutio. — Scriptura divina iubet : Qui probris affecerit patrem suum aut matrem suam lapidatione lapidetur [1]. Verum eadem damnatio sit quae contra priores (lata est) qui metropolitis conviciati sunt.

Quaestio nona. — Qui probris et contumeliis affecerit [Christum], quantum reus erit?

Solutio. — Ab Ecclesia arceatur et a sacramentis et communione cum Christianis omnino. Et ita fiat de socio qualicumque qui sit ei in abscondito et in publico.

Quaestio decima. — Si vero non sine causa exprobrati sunt et conviciis affecti sive diaconi et sacerdotes a fidelibus, sive episcopi a presbyteris et diaconis, sive metropolitae ab episcopis, sive patriarcha a metropolitis et episcopis, quid oportet eis fieri?

Solutio. — Secundum accusationes quibus accusati sunt postquam res exploratae sunt per testes fideles quorum deceat testimonium recipi adversus sacerdotes et principes sacerdotum, eos (reos) decet puniri. Si ergo oportet eos

1. Exod. xxi, 17.

corrigi, corrigantur; si oportet eos omnino deponi a dignitate (ἀξίωμα), deponantur et expellantur, non est enim acceptio personarum apud Deum. Si vero mendaces sunt eorum accusatores, eis agatur quidquid cogitaverunt facere adversus eos qui ab eis accusati sunt.

Quaestio undecima. — Vectigalia et tributa Ecclesiae quomodo decet curari?

Solutio. — Secundum legem veterem et divinam quae per Moysen (promulgata est), levitae a populo Israelitico decimas sumebant; sacerdotes iterum a levitis decimam partem sumebant. Illi quidem sic. Apostoli vero assignaverunt ex decem (p. 752) partibus quattuor episcopo, tres presbyteris, duas diaconis, unam ceteris qui res ecclesiasticas (curant) sicut lectores et hypodiaconi et reliqui, (dari). Trecenti octo et decem (Patres) definiverunt : Singulae ecclesiae secundum facultatem suam dent tributum patriarchae — quisquis autem fraudabitur aut spoliabit sacerdotes a tributo et vectigali timeat hanc vindictam quae exiit a Petro in Ḥananiam et Šapiram. Non enim hominem fraudatur qui fraudatur sed Deum, secundum Paulum[1]; « non furatus est nec mentitus est homini et contra hominem, sed Deo et contra Deum », secundum Petrum[2].

Quaestio duodecima. — Licetne Christianos vocare ad tribunalia exterorum (musulmanorum) virum aut mulierem, annon?

Solutio. — Si Christiani sunt (omnes) cur eunt ad iudices exteros? Ad eos enim dicet Deus : « Forte cum non sit Deus in Israel, abitis ad interrogandum (consulendum) Be'elzebub deum 'Eqron[3] ». Si abeunt ad iudices exteros cum sint christiani, dicet ad eos Paulus : « Non potestis participare mensae Domini et mensae alteri. Nec potestis bi-

1. I Cor. vi, 8-10, sed non ad litteram.
2. Act. v, 4.
3. IV Reg. i, 3.

bere calicem Domini et calicem Beliar [1]. » Si quis igitur ausus fuerit canonem apostolicum transgredi : paenitentiam, eleemosynam, saccum, cinerem, (decernimus).

Quaestio tertia decima. — Christianus incidit in Christianum et cecidit eum. Is autem qui caesus est it ad sultanum (praefectum) et exigit ultionem suam et caedit eum a quo caesus est, decetne eum interdici ab Ecclesia, annon? et quae erit eius paenitentia?

Solutio. — Non christiano modo nec sicut deceat Christianos egerunt, nec qui cecidit, nec qui caesus est quia non patiens fuit et retribuit malum pro malo. Non enim nos licet malum pro malo retribuere. Maior tamen est iniquitas posterioris (iniquitate) prioris. Prioris enim simplex est peccatum. Posterioris vero duplex est. Primum quia transgressus est praeceptum Domini nostri quod iubet ut pro gena genam alteram convertat et pro tunica etiam pallium dimittat [2]. Alterum quia sprevit (p. 753) iudicium Dei qui dixit : « Noli facere tibi ipsi iudicium : ego ipse tibi faciam iudicium, dicit Deus » [3], et honoravit et magis dilexit iudicium exterorum et (iudicium) hominum. Ambos decet extraneos fieri ab Ecclesia et sacramentis; eum qui peccavit prior duos menses, alterum tres menses, et in sacco et cinere stare singulis dominicis, et dare eleemosynas pauperibus quantum possunt; deinde eis parcatur, ingrediantur ecclesiam et mysteriis participent.

Quaestio quarta decima. — Homo iratus est sacerdoti, et ab eo non recepit sacramentum (renuit ab eo accipere communionem). Sacerdos anathematizavit eum. Aequumne est eum (fidelem) anathematizari, annon?

Solutio. — Si profert is fidelis testimonio veridico crimen aliquod manifestum adversus hunc presbyterum a

1. I Cor. x, 20-21.
2. Matth., v, 39-40.
3. Rom., xii, 19.

quo sacramentum renuit accipere : fornicationem dico vel magiam vel corruptionem fidei vel furtum vel homicidium vel aliud huiusmodi, decet sacerdotem anathematizari et gradu suo deponi. Si autem non potest fidelis adversus presbyterum aliquod ζήτημα proferre per testimonium veridicorum (hominum), decet hunc fidelem ab Ecclesia separari, quia calumniatus est et conviciatus est sacerdoti qui est angelus Domini, et stare in sacco et cinere, et dare eleemosynas pauperibus per mensem dierum : postea, permittatur ei ut ecclesiam ingrediatur, iussu sacerdotis eius qui ab eo probris affectus est.

Quaestio quinta decima. — Num liceat episcopo ut anathema presbyteri solvat?

Solutio. — Si iuste is, qualiscumque est, a presbytero anathematizatus est, nullo modo potest episcopus anathema eius solvere; si autem inquisitione facta ab episcopo de anathemate presbyteri, invenerit eum (presbyterum) iniuste anathematizasse eum (laïcum) sed per invidiam humanam et extra canones ecclesiasticos, potest episcopus solvere anathema presbyteri; tum presbyterum ipsum anathematizare et corrigere, sicut exigunt canones ecclesiastici.

Quaestio sexta decima. — Num liceat presbytero ut mactet, annon; ut amputet, annon; ut fundat sanguinem, annon?

Solutio. — Si bestia morti proxima sit nec sit quisquam (proximus loco) nisi presbyter (p. 754) ei permittitur ut mactet. Si vero bestia non sit proxima morti, et sit alius vicinus bestiae, omnino non permittitur presbytero ut mactet, ne avem quidem. Amputare (circumcidere) autem iuvenem omnino non potest, nec seipsum (circumcidere). Irritatorem enim circumcisionis decet presbyterum esse. Christianis vero unam circumcisionem decet circumcidi : (circumcisionem) baptismi. Circumcisio carnis et praeputium cordis Iudaeorum veterum et recentiorum (proprium) est. Aperire

autem venas et sanitatem procurare aegrotis presbytero licitum est, nihilque est qui ea prohibeat.

Quaestio septima decima. — Num liceat relinqui eucharistiam super altari in diem alterum?

Solutio. — Nullo modo omnino prorsus licet ut relinquatur (super altari). Eadem die consumi eam decet. Nec de manna nec de agno paschali, quae typi erant corporis Domini nostri licebat custodiri quidquam in crastinum. Quod autem manna servatum fuerit in diem sabbati, in hoc mysterium aliquod erat et typus similis huic : non in hoc mundo qui est typus parasceves, neque in mundo futuro qui est typus diei sabbati, nisi per humanitatem Christi poterimus appropinquare Deo : ipse enim (Christus) medius est inter Deum et homines.

Haec ergo dicta sunt, pauca e multis, o venerabiles viri Dei fratres nostri Mār Iacobe et Mār Ḥabībā episcopi metropolitae, de ordinibus et rebus ecclesiasticis. Quia etiam ita nos rogavit sanctitas vestra, modo dicemus de re matrimonii in compendio. Denique etiam de hereditatibus quomodo deceat eas dividi (loquemur), sicut didicimus a scientia naturali et a virtute Scripturarum, et a canonibus et definitionibus Patrum nostrorum, eadem ratione : quaestionis scilicet et responsionis.

Quaestio octava decima. — Num liceat viro matrem et filio eius filiam uxoris eius sumere?

Responsio. — Omnino non decet [cuiquam profitenti se] christianum esse haec facere. [Uxor quidem] patris loco matris est filio eius (patris). Filia autem uxoris (p. 755) patris [loco] sororis eius est. Par ergo est si dormiat [vir] cum filia uxoris patris sui ac si [dormierit] quis cum sorore sua. — Non igitur licet viro matrem, filium vero eius filiam [uxoris] patris sui nubere. [Est] enim soror eius simili ratione. Sed neque filiam [matris suae] a viro altero licet eum nubere.

Erat enim (ille vir maritus) matris suae, et ea soror eius[1].

QUAESTIO DECIMA NONA. — Licetne patrem et filium et duos fratres duas sorores nubere?

RESPONSIO. — [De] paganismo hoc est et de legibus magorum. [Non] igitur licet patrem et filium eius, sed nec duos fratres duas sorores nubere.

QUAESTIO VIGESIMA. — Num [liceat] uni viro duas sorores nubere, aut duobus fratribus unam uxorem esse?

RESPONSIO. — Non [licet] hoc omnino (fieri); est enim extra leges [Christianas][2]. . . . .

. . . .

[QUAESTIO VIGESIMA OCTAVA]..... et dono Crucis adorandae Salvatoris nostri. Omnem desponsationem Christianorum quae tali modo non fiet omnino non licet pro desponsatione computari. Hoc enim modo differt desponsatio nostra a (desponsatione) paganorum.

QUAESTIO VIGESIMA NONA. — Despondit vir mulierem et abiit ut mercaturam faceret. Fuerunt autem anni tres vel quattuor, nec rediit. Dixerunt parentes mulieris vel fratres eius : non possumus plus quam eo temporis spatio pactum custodire; timemus de filia nostra et volumus eam dare alteri.

RESPONSIO. — Si (sponsus) alimenta mittit ei (mulieri), decet necessario eam servare fidem marito suo. Sponsa enim uxor est viri. Nec tantum tres vel quattuor annis sed etiam omnibus diebus vitae viri sui, et vitae ipsius. Si vero non alimentis eius et subsidiis vivit, sed a seipsa et a patre suo nutritur, tribus annis omnino necessarium est pactum custodiri. Exinde vero et postea faciat sicut vult. Cogitent tamen mulier et pater eius ne forte revertatur vir (p. 758) cum di-

1. Textum corruptum sic restituendum esse conicio.
2. Duae paginae in cod. hic desunt.

vitiis multis, et deinceps eos paeniteat eius quod egerunt. Peccatum vero non mulieri imputabitur, sed viro qui toto hoc annorum spatio neglegens fuit, nec misit viaticum et alimenta sponsae suae. Haec vero ita sint.

Quaestio trigesima. — Vir quidam mulierem despondit, et commoratur in urbe sua. Causis vero quibuscumque non potest nuptiale convivium facere et sumere sponsam suam. Pater et fratres sponsae, sive causas confingunt, sive verum dicunt : « Volumus, inquiunt, exire ab hac civitate et provincia, nec possumus nobiscum ducere mulierem virginem et circuire per provincias; relinquere vero eam (hic) et abire, non est conveniens »; et vocant sponsum eius ad forum ut vel sumat sponsam suam iuxta regulam ordinariam, vel dimittat eam. Sponsus vero respondit : « Non [dimittam] sponsam meam . . . .
. . . . :
« Non possum sponsam stabilire tardius tali spatio ». Sponsus eius, sive causam confingens sive verum dicens : « Non possum, (inquit), hoc anno eam assumere? »

Responsio. — Si expensis sponsorum suorum aluntur, necesse est eas sponsalia sua servare, ut diximus, usque dum sumant tempus et faciant nuptias, sive in vicinio sunt earum sponsi, sive in longinquo. Si vero non aluntur expensis sponsorum suorum, indagetur causa eorum qui vicini sunt : utrum possint et valeant nuptias facere, necne. Si autem possint convivium facere nec faciant, canone arceantur ab ecclesia et sacramentis et communione cum christianis usque dum introducant uxores suas. Si autem persistant in protervitate et contumacia et introducendo non introducant, nec dimittendo dimittant, et recte res eorum dignoscatur : nempe quod contemptores (rebelles) sint, detur sponsabus eorum licentia ut sint cui voluerint, tantum in Domino. Sponsi autem eorum (*sic*) arceantur ne quis det eis mulieres.

Si autem nuptias facere (p. 759) non possunt paupertatis causa, videat episcopus inter eos mediatoris modo, et operetur consensum inter eos, ne fiat divortium. Et sicut vident oculi sacerdotis, videat sacerdos. — Si puella derelicta orbatur parentibus, et a parentibus suis desponsata est sponso suo cum nondum pervenisset ad aetatem discretionis et rationis, fiat eius voluntas. Si servaverit iussum parentum suorum : recte; si autem non servaverit, fiat voluntas eius. Si pervenerit ad (aetatem) rationis quando dederunt eam parentes eius, et consenserit, necessario detur sponso suo. Haec vero ita sint.

Quaestio trigesima prima. — Sumpsit vir uxorem, et fuit cum ea certo tempore, et ivit in alterum locum ut negotiaretur. Fuerunt anni tres vel quattuor, nec misit alimenta uxori suae. — Rursum : sumpsit vir uxorem, et abiit in provinciam remotam; et fuit (ibi) quinque annis, nec recordatus est uxoris suae per epistulam aut... nec fuit qui de eo uxorem certiorem faciat..... eius vult autem uxor esse viro, et a priore non separata est, quid respondebimus uxori?

Responsio. — Postquam fuit vinculum per matrimonium nulla est omnino causa cur dissolvatur, nisi fornicationis aut magiae causa : « quicumque enim dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, adulterat[1] ». Similiter uxor cum dimittit virum suum, excepta fornicationis causa, adulterat. Nec viro nec mulieri qui se dimittunt propter causam quae non sit causa fornicationis aut magiae licet fieri matrimonium alterum, praeterquam cum alter eorum mortuus est, aut ambo castitatem colunt. Decet autem uxores cunctari usque dum eis certius fiat exacte utrum vivant viri earum, necne. « Angusta enim et aspera via est quae ducit ad vitam; lata vero et spa-

1. Matth., v, 32.

tiosa quae ducit ad perditionem[1] ». Nullo modo licet (uxorem) declinare ad matrimonium alterum, antequam noveri exacte utrum mortuus sit vir eius necne. Non impossibilis est haec res (p. 760) etiam si apud Indos vel Sinas (commoretur). Scribitur enim et indagatur res ab episcopis, et metropolitis, et patriarcha, et ubicumque fuerit vir, cogitur definitionibus Verbi Dei et canonibus, usque dum revertatur ad uxorem suam, vel mittat ei alimenta, sicut aequum est. Haec porro ita sint.

QUAESTIO TRIGESIMA SECUNDA. — Si autem remanserit vir septem vel decem annis nec sit notitia de eo et ignoretur utrum vivat an mortuus sit. Mulier autem fuit viro (alteri), et rediens vir (prior) post multum tempus, exigit uxorem suam. Quid fiet de eo et de uxore eius?

RESPONSIO. — Potest domini modo sumere uxorem suam si velit. Verumtamen decet anathematizari ab ecclesia eum qui sumpsit eam (mulierem) illegitime, et ipsam mulierem per certum tempus. Ille quidem quia inquinavit thalamum quod suum non erat et ingressus est ad mulierem iam maritatam; haec vero quia non ostendit patientiam, nec servavit fidem marito suo.

Si autem fastidit eam vir eius propter fornicationem eius, hic potest alteram (uxorem) petere legitime. Eos autem (mulierem et alterum virum) decet ambos ab Ecclesia excommunicari, nec detur eis omnino licentia ut vel simul sint : uterque enim facit fornicationem. Neque ad alterum matrimonium convertantur : transgressores enim legis sunt, et rei. Haec quidem hactenus.

QUAESTIO TRIGESIMA TERTIA. — Erat vir quidam in urbe qualicumque, non oriundus ex ea civitate. Sumpsit mulierem a quodam cive, et fuit apud eam certo tempore. Tum abiit in aliam regionem ut negotiaretur, nec misit

1. Matth., VII, 13.

alimenta uxori suae. Scripsit pater mulieris marito eius ut mitteret (maritus) ei (mulieri) alimenta. Non misit alimenta, sed deputavit ad eum nuntium oralem : « Dimisi filiam tuam, neque est mihi commercium apud eam. » Profectus est exinde in aliam regionem, neque audita est eius fama. Vult autem pater eius (mulieris) eam dare viro alteri.

Responsio. — Verbis simplicibus vel nuntiis infirmis non separatur mulier (p. 761) a viro. Oportet rem indagari et inquiri ubinam sit vir. Decet deinde scribi ad episcopum illius dicionis ubi est ab episcopo urbis in qua est mulier : anathematizetur usque dum revertatur ad ius. Nulla est omnino regio in qua nobis non sit metropolita aut episcopus. Si autem contumax est, et in protervitate sua ac contra canones et definitiones, et contra correctores et magistros suos stet, ille prorsus extraneus sit ab Ecclesia catholica, quasi qui transgressus sit praeceptum Domini nostri et dimiserit uxorem suam praeter causam fornicationis. — Si velit autem uxor eius maritari, arbitrii eius est. Hoc quidem ita (sit).

Quaestio trigesima quarta. — Sumpsit vir uxorem et fuit cum ea certo tempore. Deinde dixit : « Morbus quidam est mihi, non possum ad uxorem meam ingredi », sive quod verum dixit, sive quod uxorem suam odio habuit. Ait etiam : « Dabo alimenta eius quaecumque ei sunt necessaria ». Haec vero respondit : « Copulam exigo ad normam omnium mulierum. »

Responsio. — Si morbus qui accidit viro illi, postquam copulatus est uxori ei accidit, omnino necessarium est mulierem cum eo tolerare tribulationem. Si enim evenisset ut haec fieret caeca vel clauda postquam coivit cum eo, aequumne esset virum eam dimittere? Similiter ergo non decet eam [dimittere] virum suum, cum quidem post copulationem eorum ei (viro) acciderit morbus.

Si vero non post copulationem eius cum uxore sua sed ante copulationem eius acciderit ei talis morbus, et cognoverit mulier morbum viri sui compereritque, necesse est omnino ut toleret cum eo tribulationem eius, quia comperit et cognovit eam antequam cum eo copularetur. Si autem omnino non compererit mulier morbum viri, et vir absconderit et texerit (p. 762) morbum quo afficiebatur, et inquisitione facta id exacte cognitum sit, potest mulier esse viro alteri, si velit, quia decepta est. Vir autem sine copula cum altera maneat. Decet etiam ut dum inquisitionem de viro facimus super id quod dixit, habitet mulier (cum eo) et sumat alimenta viri sui. Tum post diuturnum tempus res manifestabitur, utrum vere sit ei morbus, an praetexta et dolos excogitaverit adversus uxorem suam.

Quaestio trigesima quinta. — Sumpsit vir mulierem et fuit cum ea. Post aliquod tempus accidit mulieri morbus diuturnus. [Accidit] autem morbus propter[1] copulationem viri, nec est [mulieri] spes sanitatis. Vir quidem dicit : Iuvenis sum, nec possum servare castitatem. Quid respondebimus ei?

Responsio. — Solvitur quaestio haec per praecedentem. Eadem definitio et decisio [ferenda] est de viro ac de muliere. In hac autem quaestione nullum est omnino dubium : quasi : utrum ante matrimonium an post matrimonium acciderit mulieri morbus. Quid enim? si post copulationem viri cum uxore accidat ut fiat elephantiasi vel lepra affectus, vel caecus, vel claudus, omnibus enim infirmitatibus subiecta est natura humana, — si, inquam, de viro hoc ita sit, mulier autem contrariis (attributis) praedita sit : optimo temperamento, valida, sana, oculata, pulchra visu, decenti statura (habitu), — num deceat ei licentiam dare ut di-

1. Forte pro ܡܢ : propter, legendum est : ܡܢ ܒܬܪ : post.

mittat virum aegrotum et sub iugo aspero talium morborum oppressum ut adhaereat iuveni alteri validissimo et pulcherrimo? — Ulterius progredere. — A pari, si vir hic sit sanus et mulier aegrota, postquam fuit eis copulatio matrimonii, neque aequum est ut dimittat eam et fidem suam violet. Verum decet eum tolerare quod ipse elegit, et perseverare cum ea in ieiunio et oratione, gratiam petendo assidue et orando Christum ut operetur circa eam quidquid placuerit voluntati eius : nihil enim difficile est Deo. « Quae (p. 763) apud homines impossibilia sunt, apud Deum possibilia sunt[1] ».

Quaestio trigesima sexta. — Quot causis dividatur uxor viro aut separetur vir ab uxore?

Responsio. — Quattuor causae sunt quibus et propter quas separantur uxores a viris et viri ab uxoribus. Prima : Ad servandam castitatem : cum vir non convertatur ad alteram uxorem, nec uxor convertatur ad alterum virum.

Secunda : Fornicatio corporalis et adulterium.

Tertia : Fornicatio animae quae est magia et lapsus a Deo per apostasiam et operationem daemoniacam.

Quarta : Mors. — Hae sunt causae quae separant viros ab uxoribus, et dividunt uxores a viris.

Quaestio trigesima septima. — Si vir aut mulier inierint pactum coram Christo iuste, amboque mentiantur eorum pacto, et vir ad alteram uxorem, uxor ad alterum virum convertatur. Quid decet eos pati?

Responsio. — Extraneitatem ab Ecclesia et sacramentis et communione cum Christianis, quod mentiti sunt Deo, et mentiti sunt sibi ipsis inter se.

Quaestio trigesima octava. — Si vir aut uxor fornicent, quid de eis statuendum est?

Responsio. — Saccus et cinis ante Ecclesiam, et ieiunium,

1. Luc., xviii, 27.

et oratio, et lacrymae, et eleemosynae secundum facultatem eorum, cum spiritu humili et corde contrito. Deinde recipientur : vir sicut publicanus, uxor sicut Maria meretrix (recepti sunt) à Domino nostro. Quantitas vero paenitentiae secundum mensuram peccati.

Quaestio trigesima nona. — Permittisne ut maritetur meretrix vel pellex post paenitentiam?

Responsio. — Si exacte paenitentiam egerint, permitto. Dominus enim Deus noster nec sprevit paenitentiam David, nec lacrymas meretricis. Verum in David viris, in Maria autem exemplum paenitentiae mulieribus depinxit, et ostendit nobis. Quod autem maritentur necne, eorum arbitrii est.

Quaestio quadragesima. — Si sponsae ab aliis vi rapiantur, quid facient earum sponsi?

Responsio. — Si vi eductae sint, ad sponsos suas revertantur necesse est. Non enim aequum est eas duabus lateribus vexari (p. 764), et a sponsis et a raptoribus. Si vero voluntarie raptae sunt : raptor simul et quae rapta est sint extranei omnino ab ecclesiis catholicis; alter ab altero separetur, cum sint fornicatores et adulteri; nec permittatur eis alterum matrimonium, vel cum altero, nec viro nec mulieri.

Quaestio quadragesima prima. — Potestne sponsus relinquere sponsam suam aut sponsa sponsum suum?

Responsio. — Non potest sponsus dimittere sponsam suam nec sponsa sponsum suum, si facta sint sponsalia interventu Crucis et sacerdotum et diaconorum et fidelium, praeterquam fornicationis corporis aut animae causa; sicut paullo ante diximus corporis fornicatio est adulterium; animae fornicatio est magia, et apostasia a Deo et lapsus ab eo, et cetera. Si autem praeterquam eis de causis fiat divortium : quicumque dimiserit reus est, nec detur ei mulier altera. Qui dimissus est sine vituperio est, et licet

ut maritetur. Qui autem dimiserit inique et extra fornicationis causam, non licet ut maritetur quantum vivit is in quem peccavit.

Quaestio quadragesima secunda. — Potestne vir dimittere uxorem suam omnino?

Responsio. — Aut propter fornicationem, aut cum alter eorum ad alterum matrimonium conversus sit. Extra has causas non licet viro mulierem uxorem suam dimittere, nec uxori virum suum.

Quaestio quadragesima tertia. — Si iuraverit quispiam se, si uxorem suam non dimiserit, abnegaturum esse fidem suam : quid deceat fieri et statui? mentiaturne iuramentis an dimittat uxorem?

Responsio. — Iniuria iniuria dissolvatur, non vero lex transgressione legis. Quod vir iuraverit transgressio legis est; quod (autem) non dimittatur uxor a viro extra fornicationis causam, lex est Dei. Decet ergo solvi iuramentum quod factum est per transgressionem legis, transgressione legis quae est mendacium.

Si enim malum est iurare, et malum iuramentis mentiri, multo peius est solvi legem Dei et dimitti uxorem extra fornicationis causam. Qui (p. 765) dimittit uxorem suam adulterat, et iubet uxorem adulterare, et transgreditur legem Dei.

Quaestio quadragesima quarta. — Si fornicatur mulier contra virum suum, aut vir contra uxorem suam, quid aequum est de eis fieri?

Responsio. — Mulier quae fornicata est contra virum suum exiet nudata dote sua [1] et dono nuptiali; pro opprobrio suo sumet eius vir dotem eius (mulieris) simul et donum nuptiale. Abstinebit etiam a matrimonio cum

1. *Dos* : syr. : ܦܪܢܝܬܐ (e gr. φερνή), pecunia sponsae data a parentibus suis; *Donum nuptiale* : syr. : ܡܗܪܐ, quod sponsus sponsae confert ut eam in matrimonium ducat.

altero : quicumque enim sumpserit repudiatam adulterat. Similiter vir qui fornicatus est contra uxorem suam abstinebit a matrimonio cum altera : est enim fornicator; expendet quoque decimas omnium quae possidet. Potest (mulier) sumere unum e decem possessionum eius quia thalamum suum inquinavit (maritus).

Quaestio quadragesima quinta. — Si paenitentiam egerint in habitu (ordine) qui est super saccum et cinerem, et dederint eleemosynas secundum facultatem (suam), quid de eis fiet?

Responsio. — A Domino nostro recipientur : est enim misericors et miserator. Oportet ergo eos etiam recipi ab Ecclesia simul et alterum ab altero : « Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris [1] ».

Quaestio quadragesima sexta. — Homo quidam mortuus est relinquens divitias multas et possessiones. Erant autem ei mater et uxor et filii patrui. Quis eorum hereditabit de eo?

Responsio. — Si non sint viris, mater et uxor hereditabunt de eo : mater quia genuit eum, uxor quia una caro erat cum eo. Si autem sint viris : sumant dona nuptialia et quidquid legavit eis is qui mortuus est, si tamen quidquam legavit eis. Si autem nihil legaverit eis, dent eis (heredes) decimam partem divitiarum eius quas acquisivit post diem qua ingressae sunt domum eius. Porro hereditabunt possessionem viri filii patrui.

Quaestio quadragesima septima. — Mulier quaedam mortua est relinquens maritum et matrem et sororem. Quomodo dividetur hereditas?

Responsio. — Si testamentum fecerit hereditatis suae causa, cum esset sana, detur hereditas cuicumque ius-

1. Matth., vi, 12.

serit. Si autem non fecerit testamentum, dividatur hereditas eius in quattuor partes : una quasi Deo pauperibus (detur) in remissionem peccatorum (eius), altera matri eius, tertia (p. 766) fratribus eius, quarta marito eius.

Quaestio quadragesima octava. — Vir quidam mortuus est relinquens sorores et filios patrui. Quis heres eius erit?

Responsio. — Sorores heredes eius erunt proprie, non vero filii patrui. Tunc enim hereditant filii patrui cum non est heres nec masculus nec femina.

Quaestio quadragesima nona. — Vir quidam mortuus est relinquens filios et filias nuptas et viduas, et uxorem. Quomodo dividetur eius hereditas?

Responsio. — Filii masculi de eo hereditabunt. Filiae vero si reliquit eis quidquam pater earum, cum viris suis hereditabunt tantum quod legavit eis pater earum. At si sint pauperes et infirmae, quos alios decebit earum gravamen tolerare nisi fratres earum? — Uxori viri si servet libertatem (viduitatem) sit potestas et honor in domo viri sui, sive sit mater filiorum sive sit matertera; si alteri quidem viro non sit, habitare autem in domo sua nolit, dentur ei alimenta quae sufficiant, et habitet sola. Si vero velit esse alteri viro, sumat dotem suam quam attulit de domo patris sui, et donum nuptiale, et quidquid datum est ei a marito, et decimam partem honorum eius (mariti) quae acquisita sunt postquam ingressa est domum viri et abeat in pace.

Quaestio quinquagesima. — Vir quidam mortuus est relinquens filium et filiam et uxorem. Cuiusnam hereditas eius erit?

Responsio. — Heres viri est filius eius masculus. Filia autem hereditabit quidquid legavit ei pater eius. Si autem nihil legaverit ei pater eius, hereditabit viaticum quod rependet ei frater eius secundum facultatem suam. Uxor

si servet libertatem (viduitatem) quidquid est filio suo in quantum est filius, sub potestate eius (uxoris) erit. Si autem velit esse viro alteri, sumet dotem suam et donum suum, et quidquid datum est ei a viro suo, et decimas possessionum quae a viro suo acquisitae sunt a die qua ingressa est apud eum et in domum eius, et abibit in pace quocumque voluerit.

Quaestio quinquagesima prima. — Alius quidam mortuus est relinquens filium et filiam et patrem et matrem et uxorem.

Responsio. — Hereditabit de eo filius eius masculus et uxor eius si custodierit libertatem suam. Filia eius hereditabit (p. 767) quidquid legavit ei pater eius. Mater et pater eius qui mortuus est, si egeni sint, decet ut nutriantur de bonis filii sui, quanto tempore vivunt filius eius (viri) et uxor eius. Si autem moriuntur filius eius et filia eius et uxor eius, pater eius et mater hereditabunt de eo.

Quaestio quinquagesima secunda. — Alius quidam mortuus est relinquens matrem et patrem et fratres et sorores.

Responsio. — Quamdiu vivunt pater et mater eius, hereditabunt de eo, cum non sit nec filius nec filia. Post mortem vero patris et matris, dividatur hereditas eius inter fratres eius masculos ad paritatem. Sorores autem eius sument de hereditate decimam partem pro dotibus suis, si tamen nihil eis [legaverit] pater earum secundum facultatem suam, nec fecerit testamentum circa eos (*sic*) in vita sua nec tempore mortis suae.

Quaestio quinquagesima tertia. — Uxor mortua est et legavit dotem suam marito suo tempore mortis suae. Stabit decretum eius necne?

Responsio. — Si cum esset [sana] mulier et rationis compos legavit dotem suam marito suo, servetur decretum eius; si autem non mentis compos legaverit, colligatur dos eius quae a patre eius (proveniebat), et donum eius

nuptiale quod a marito (proveniebat) et quidquid erat ei, et dividatur in tres partes : una (detur) pauperibus, una patri eius, una marito eius, si tamen non sit eis filius aut filia. Si autem eis sit filius aut filia, ei hereditabunt etiam dotem et donum nuptiale.

Quaestio quinquagesima quarta. — Mulier mortua est relinquens maritum, fratres et sorores; et iussit dotem suam et donum auferri a viro suo et dari fratribus et sororibus suis (uxoris) ?

Responsio. — Ius habet proprietatis uxor et super dotem suam quam attulit de domo patris sui, et super donum nuptiale quod dedit ei vir eius, adeo ut possit ea legare cuicumque voluerit. Nemo autem potest contradicere decreto eius et id irritum facere, si compos mentis et rationis iusserit. Si autem mentis non erat compos quando iussit (legavit), dividatur quodcumque est ei in tres partes, ut supra diximus.

Quaestio quinquagesima quinta. — Puer cuius mortuus est pater, aut puella, quibus est avus, hereditantne (de patre) possessionem, annon?

Responsio. — Proprietatis iure hereditabunt sive masculus sive femina. Deinde revertatur (hereditas) retro (p. 768) ad patrem patris cum non est heres nec masculus nec femina. Quando autem sunt heredes, si reverti iubeamus hereditatem ad avum, manifeste Deo resistimus, qui concessit benignitate sua heredes (mortuo), dum nos spoliamus eos ab hereditate patris.

Quaestio quinquagesima sexta. — Propter quid omnino non hereditare iubes mulierem, aut minus quam virum hereditare eam iubes quanquam eadem et una natura sunt?

Responsio. — Primo : quia non Adam factus est propter Hevam, verum potius Heva facta et creata est propter Adam. Quidquid autem propter aliud factum est, inferius est eo propter quod factum est. Ergo inferior est mulier viro. Cum

vero sit inferior viro, iuste ergo minus hereditabit ac vir. Deinde dicimus : Mulier causa fuit cur Adam transgrederetur decretum (Domini). Transgressio autem decreti causa fuit eiectionis a Paradiso. Paradisus hereditas erat Adami. Ergo mulier iuste eicitur ab hereditate, quae fuit causa exilii Adami ab hereditate eius. Adamus quidem igitur, etsi transgressus est decretum propter incitamentum mulieris, et cupiditatem manducationis (fructus) et honoris, non tamen erravit nec accepit plures esse Deos. Mulier vero erravit polytheismo, eique credidit, transgressa est etiam decretum, ut nos docent verba divina. Iuste ergo aut nihil hereditat, aut cum hereditat minus viro hereditat. Credidit enim verbis Satanae, et mentita est... Deo et causa fuit cur expelleretur Adamus ab hereditate sua. Altero modo : Si mulier hereditaret cum fratribus suis et post patrem suum (post mortem patris sui), deinde hereditaret etiam a marito suo, fieri posset ut duplo viro suo hereditaret.

Quaestio quinquagesima septima. — Si nullus omnino heres est viro vel uxori neque e familia patris neque ex stirpe matris, quid fiet de hereditate eorum?

Responsio. — Heres est ecclesia et pauperes eius. Colligit reditus ad curandos pauperes et egenos (p. 769), solvit tributa regia ubi et quomodo et quantum potest.

Quaestio quinquagesima octava. — Cur decimam partem iussisti dari mulieri, non autem plus minusve?

Responsio. — Quia (mulier) est pars totius et costa de toto (quod est) corpus : « Et tulit unam e costis eius et intulit carnem pro ea[1] ». Si sicut totam e toto desumpta fuisset, sicut Seth ab Adam (desumptus est), aeque ac vir hereditaret. Nunc vero, cum non sicut totum e toto sed sicut pars e toto desumpta fuerit, iuste decimam partem, non quinque ex decem aut plus vel minus accipit. Non quidem ab here-

1. Gen., II, 21.

ditate omnino eam excludimus : non est enim extranea a corpore; nec rursum ei tantum ac masculo damus; non est enim tota in se, sed pars. Vir perfectus est secundum numerum decem; mulier imperfecta sicut unitas in (numero) decem. Verum non est vir extra mulierem nec mulier extra virum in Domino, id est in regno caelorum, quia Heva ex Adamo sumpta est. Adamus heres Paradisi erat, etiam Heva heres erat Paradisi. Sed Heva decepit Adamum. Adamus propter trangressionem decreti pulsus est ab hereditate Paradisi. Heva quoque iuste expulsa est a Paradiso. Quomodo igitur deceat eam sumere (aliquid) de hereditate quae seipsam et Adamum expulit ab hereditate Paradisi? Verum, quanquam hereditas terrena in expulsionem (ἐξορισθῆναι) ei cessit, in potestate tamen eius manet hereditare regnum caelorum quod Paradiso figurabatur et repraesentabatur.

Quaestio quinquagesima nona. — Decetne omne testamentum mortui confirmari, annon?

Responsio. — Si a viro sano et rationis compote factum est de rebus circa quas potestatem habet, iuste etiam et rectissime factum est testamentum, omnino necessarium est id confirmari. Si autem non cum esset sanus et rationis compos, nec iuste, nec recte, nec de rebus quae eius essent (factum est) testamentum, nullo modo decet iudices rectos id confirmare : sed potius irritent illud et decernant in veritate et timore Dei. Homines enim sive dum vivunt, sive cum mortui sunt (p. 770), decet timorem Dei (religionem) honorare.

Quaestio sexagesima. — Coguntürne filii ut reditus dent parentibus si indigeant, annon?

Responsio. — Omnino obligantur liberi ut dent parentibus (reditus), sive possessiones et divitias suas a parentibus suis obtinuerint, sive non a parentibus sed diligentia et labore suo obtinuerint. Si sint inter liberos qui luxuriose

vivant in divitiis et in fastu et vestes magnificas et pretiosissimas induantur, dum parentes eorum fame et siti et nuditate laborant, decet eos ab Ecclesia excludi et a sacramentis, usque dum communicent cum parentibus iucunditatem divitiarum quas eis distribuit Deus : « Honora patrem tuum et matrem tuam », inquit Deus[1].

Quaestio sexagesima prima. — Potestne mulier exigere donum nuptiale a viro suo quamdiu cum eo habitat, annon?

Responsio. — Potest mulier, iure proprietatis, quando vult. Vir autem non tantum doni nuptialis erga uxorem debitor est sed omnium sumptuum eius : nemo enim corpus suum odit, sed fovet et sollicite curat illud. Porro uxor una caro est cum viro suo. Ergo vir etiam omnium sumptuum debitor est erga mulierem : similiter et mulier erga virum suum.

Quaestio sexagesima secunda. — Quantum decet esse donum nuptiale uxoris?

Responsio. — Donum nuptiale secundum proportionem dotis (quam uxor habet) a patre suo, secundum facultatem et arbitrium et consensum ambarum partium decet esse. Nos quidem quadringentas tantum drachmas[2] decrevimus pro dono nuptiali (dari) cum respiceremus (non?) divites, verum decet potius hoc prius fieri[3].

Quaestio sexagesima tertia. — Erant tres vel quattuor fratres. Duo mortui sunt. Unus ex eis genuerat filios masculos, alter genuerat filias. Superstes vero mortuus est sine filiis masculis, quomodo hereditabunt? hereditatem autem eius qui mortuus est sine liberis quis accipiet?

Responsio. — Filiae hereditabunt hereditatem patris sui sine diminutione; masculi similiter hereditabunt heredita-

1. Exod., xx, 12.

2. ܙܘ̈ܙܐ.

3. Id est : donum nuptiale maius vel minus esse pro arbitrio ambarum partium.

tem integram ad aequalitatem. Qui mortuus est sine filiis et filiabus, si non sit ei frater vivens, dividatur (p. 771) hereditas eius filiis fratrum eius et filiabus eorum ad aequalitatem. Si vero sit ei frater vivens, frater eius hereditabit hereditatem quamdiu vivit, non valens negotiari cum ea nec etiam de ea donum dare. Post mortem fratris huius dividatur hereditas eius qui mortuus est sine liberis inter filios fratrum eius et filias fratrum eius, sicut diximus. Si supersit pater aut mater eius qui mortuus est sine liberis, hi hereditabunt de eo ; revertitur enim hereditas retro regressionis modo quia non est ei (mortuo) heres inferior. Si vero non supersint pater et mater, fratres et sorores hereditabunt. Cum exciderit hereditas a parentibus aut fratribus, liberis fratrum eadem aequalitate dividatur, inter filios fratrum patris et filias fratrum fratris, sicut diximus.

Quaestio sexagesima quarta. — Vir quidam mortuus est sine filiis et sine filiabus. Reliquit fratres, alios de matre sua, alios de altera muliere. Quis heres eius erit?

Responsio. — Si sint ei parentes, parentes heredes eius erunt. Si autem non sint parentes, fratres eius aequaliter decet hereditare, sive qui de matre eius sunt, sive qui de muliere altera, si tamen divitias quas possidet a parentibus acquisivit. Si autem a seipso et propria diligentia acquisiverit, fratres qui sunt de matre eius soli hereditabunt. Si autem non de matre sua nec ex labore suo, etc... et fecerit testamentum cum sanus esset, servetur et perficiatur eius testamentum; si vero non testatus fuerit, dividantur divitiae eius in quinque partes. Una ex eis detur Deo, (id est) pauperibus; alia fratribus qui non sunt de matre eius; tres reliquae fratribus qui sunt de patre eius et de matre eius.

Quaestio sexagesima quinta. — Mulier cuius mortuus est maritus, nec sunt ei liberi, aut fuerunt ei liberi et mortui sunt, quid erit ei extra dotem eius?

Responsio. — Si moratur libera (vidua) in domo (mariti) servetur ei honor sicut cum viveret maritus eius. Sin moretur in domo sua, velit autem exire, potest sumere secum donum nuptiale (quod proveniebat) a viro suo et dotem quam a patre sua attulerat. Potest etiam sumere decimam partem bonorum viri sui.

(P. 772) Quaestio sexagesima sexta. — Viri cui sunt pater et mater et filii et filiae, cum moritur, heredes sunt filii et filiae. Patri vero et matri quid oportet dari?

Responsio. — Filii masculi heredes sunt; filiabus vero oportet tribui viaticum conveniens sive a parentibus, sive a fratribus earum, decimam scilicet partem hereditatis paternae. Patrem et matrem, si egeni sint, decet sufficienter ali de possessione filii sui, secundum facultatem et possibilitatem. Si egeni non sint, indecorum est eis filiis filii sui gravamen afferre.

Quaestio sexagesima septima. — Hereditantne mulieres cum fratribus suis, aut patrui cum filiis fratrum, annon?

Responsio. — Antea iam de eis rebus dictum est, hisce principiis : heredes patris filii fratris sunt. Hereditant filiae cum fratribus suis viaticum conveniens, et bonum quod legaverunt eis parentes earum, aut fratres earum. Quod si neglexerint (filiabus aliquid legare), sumant (filiae) decimam partem possessionum patris sui. — Patrui cum filiis fratrum suorum nullo modo hereditabunt, nisi forte non sint fratribus suis nec filii nec filiae. Si non sint filii masculi, filiae hereditabunt. Si non sint filiae, sed sint sorores, sorores hereditabunt. Si non sint fratres nec sorores, patrui aut filii patruorum hereditabunt. Si non sint patrui nec filii patruorum, ad familiam matris revertitur hereditas.

Quaestio sexagesima octava. — Legabiturne hereditas matris liberis an patruis?

Responsio. — Si pater aut mater sint, hereditabunt liberi eorum. Si non sint parentes, sint vero sorores, eae

ıereditabunt aut filiae earum. Si non sint sorores nec liberi ;ororum, hereditabunt patrui.

QUAESTIO SEXAGESIMA NONA. — Hereditatne uxor de ma-:ito suo aut maritus de uxore sua?

RESPONSIO. — Hereditat uxor de viro suo donum nup-:iale et quidquid legavit ei. Si autem non legavit ei quid-ˌuam, hereditat, sicut diximus, decimam partem, si sint ei filii qui hereditent. Si non sunt ei filii nec filiae, ipsa ıereditat dimidiam partem; fratres autem eius (viri) et patrui (hereditant) dimidium. — Eodem modo vir here-ditat de uxore sua quidquid ei legavit (uxor). Verum de dono nuptiali et dote (mulier) potest dare cuicumque vo-uerit. Si nihil statuerit de dono nuptiali et dote, fiat sicut supra diximus.

(P. 773) QUAESTIO SEPTUAGESIMA. — Vir oppressit ancillam suam quae concepit filium, quem cum viveret non agnovit. Moriens autem testamento iussit ei dari hereditatem sicut uni ex filiis suis, et filium suum (eum) esse confessus est.

RESPONSIO. — Inter filios computabitur. Sed non sicut filiis liberae, verum sicut filio ancillae detur ei de heredi-tate vigesima pars : ad cautionem ne quis immundus sit (?), nec frustretur semen eius ab hereditate.

QUAESTIO SEPTUAGESIMA PRIMA. — Vir quidam abiit in pagum quemdam remotum, et expetivit uxorem, cum esset ei uxor in pago suo. Parentes vero (mulieris) nesciebant ei alteram esse. Geniti sunt illi ex ea liberi. Deinde res ma-nifestata est. Quid erit de filiis eius?

RESPONSIO. — Illegitimae liberi non hereditabunt cum filiis legitimae. Maledicta est illegitima propter virum suum illegitimum. Filii legitimae hereditabunt hereditatem parentum suorum; filii illegitimae nihil a patre suo here-ditabunt; a matre vero, si sit ei quidquam, hereditabunt.

QUAESTIO SEPTUAGESIMA SECUNDA. — Vir uxorem duxit, et fuit cum ea viginti annis non appropinquans ei, dicens :

Morbus quidam est mihi, nec possum appropinquare uxori. Hac autem non tolerante et copulam exigente, quid respondebis ei?

Responsio. — Non potest virum suum relinquere ut adhaereat alteri, priusquam moriatur vir eius aut sanetur. Neque etiam viro eius licet eam dimittere. « Uxor non dimittat virum suum ». Si eum reliquerit maneat sine viro aut reconcilietur marito suo. Pariter vir non dimittat uxorem suam; si eam dimiserit, maneat sine muliere, vel uxori suae reconcilietur.

Quaestio septuagesima tertia. — Vir desponsavit mulierem, et mortuus est. Hereditatne ab eo quidquam sponsa eius, aut donum nuptiale ab eo sumit? Vel : haec mulier mortua est ante eum : hereditatne quidquam ex ea, an sumunt parentes eius (mulieris) donum nuptiale?

Responsio. — Si nonvidit eam nec conversatus est cum ea, non aequum est eam hereditare quidquam ab illo si moriatur, neque illum aequum est quidquam hereditare ab illa si moriatur. Si vero viderit eam et conversatus sit cum ea, non copulando tamen, et moriatur, sumit (mulier) donum nuptiale integrum. Si ea moriatur, dimidium doni nuptialis sumit (vir) et quidquid (amplius) expendit.

Quaestio septuagesima quarta. — Vir [a fide apostatat et dimittit] mulierem. Potestne mulier adhaerere viro alteri, annon?

Responsio. — Si infidelis separat, separet. Si tolerare possit quin adhaereat alteri dum vivit qui dimisit eam, quanquam [non obligatur] multo melius facit. Quod si non toleret, maritetur. Non peccavit, quia non haec dimisit virum suum, sed ipse dimisit eam.

Quaestio septuagesima quinta. — Vir christianus[1] (in testamento) iussa dedit viro musulmano super liberos suos et domum suam[1], rectumne est mandatum eius, annon?

1. I. *e.* : Curatorem designavit.

Responsio. — Si fuerint christiani [timentes] Deum, reliquit autem christianos et abiit ad [viros] alterius religionis, non firmetur mandatum eius. Si vero in eius vicinia non fuerint Christiani timentes Deum, et cum non adfuerint Christiani designavit musulmanum vel alium timentem Deum ; confirmetur eius mandatum.

Quaestio septuagesima sexta. — Recipisne testimonium musulmani contra Christianum sive pro debito sive pro alia specie?

Responsio. — Si religiosi sint et immaculati testes recipiantur et pro debito et pro alio negotio. Si vero non sint religiosi, non recipiantur, maxime in rebus fidei.

Quaestio septuagesima septima. — Vir cui erant servus et ancilla christiani eos matrimonio iunxit. Deinde vero sprevit, et voluit utrumque vendere. Potestne eos alterum ab altero separare, annon?

Responsio. — Non potest alterum ab altero separare nec vendere eos non christianis. Si ausus sit vendere eos et separare unum ab altero et vendere eos infidelibus, decet ut interdicatur ab ecclesia usque dum curaverit eos liberari a malo quod eis fecit.

Quaestio septuagesima octava. — Monasterium vastatum est. Sunt ei terrae, nec est in eius urbe alterum monasterium. Quis hereditabit de eo, ecclesia an reliqua de monasteria extranea?

Responsio. — Eos qui magis egeni et afflicti et oppressi sunt decet hereditare, sive monasteria, sive ecclesiae sunt. « Haec quiescat; quiescere faciam oppressos », dixit Deus. Similiter de ecclesiis quae vastatae sunt quae magis egenae sunt hereditabunt, non vero quae non sunt egenae (p. 775).

Quaestio septuagesima nona. — Presbyter mortuus est et reliquit pecuniam. Quis heres eius erit?

Responsio. — Si sint ei liberi, heredes eius erunt. Si non sint liberi, pecunia autem eius ab ecclesia (proveniat)

heres eius erit ecclesia. Si pecunia eius non ab ecclesia sed a parentibus eius sit, cognati eius heredes eius erunt.

Quaestio octogesima. — Iuramenta christianorum quomodo erunt?

Responsio. — Non licet christianis omnino nec iurare nec iurare (alios) iubere : utrumque peccatum est.

Quaestio octogesima prima. — Vir mortuus est relinquens filios et filias. E filiabus vero quaedam erant maritatae, aliae viduae, aliae virgines. Quomodo dividetur hereditas eorum?

Responsio. — Hereditant de eo filii masculi. Filiae maritatae sument quidquid legavit eis pater earum. Viduae nutriantur hereditate maritorum suorum et viatico quod tribuit eis pater earum. Virgines denique quantum acceperunt maritatae quando nupserunt cum pater earum viveret, tantum eae (virgines) accipient.

Quaestio octogesima secunda. — Vir mortuus est relinquens sororem patris et liberos patrui. Quis heres eius erit?

Responsio. — Qui magis propinqui sunt plus hereditabunt. Liberi fratris patris magis propinqui sunt : ergo hereditabunt plus quam soror patris. Si sint heredes masculi, hereditent; si autem non sint heredes masculi, hereditas convertatur in feminas. Si sint lites, dividant eam (hereditatem) inter se ad aequalitatem.

Quaestio octogesima tertia. — Iubesne sororem heredem esse fratris sui si sit cum ea alius frater?

Responsio. — Non hereditant sorores cum fratribus suis : nisi quidquid legatum est eis a patre aut matre aut fratribus. Quod si neglectum fuerit a patre nec sit eis quidquam, decima pars (bonorum) eis detur.

Quaestio octogesima quarta. — Iubesne hereditare patruum cum uxore viri et matre eius?

Responsio. — Si servent libertatem (viduitatem) eae

sunt heredes mortui quamdiu vivunt; eis autem mortuis revertitur hereditas patruis eius qui mortuus est.

Quaestio octogesima quinta. — Alius mortuus est, relinquens fratrem matris et sororem matris.

Responsio. — Si fecerit testamentum dum sanus esset, confirmetur. Si non fecerit testamentum, dividatur hereditas aequaliter inter sororem matris et fratrem matris. Aequaliter enim propinqui sunt ei qui mortuus est.

Quaestio octogesima sexta. — Hereditantne fratres cum uxore viri?

Responsio. — Si vir fecerit testamentum dum sanus esset, confirmetur testamentum eius. Si autem non fecerit testamentum, et uxor servet libertatem, haec heres eius est quamdiu vivit. Post mortem eius revertitur hereditas fratribus viri. Si velit alteri maritari, sumat donum nuptiale et quidquid secum attulit de domo patris sui, et decimam partem bonorum viri.

Quaestio octogesima septima. — Quomodo hereditare iubes patrem a filio eius et matrem a filio eius?

Responsio. — Quidquid patris et matris est, filiorum est. Mortuis autem filiis sine prcle, regreditur hereditas a filiis in parentes, et cum ea agunt pro arbitrio suo.

Quaestio octogesima octava. — Alius mortuus est relinquens duos fratres [unum] ex patre et matre et alium ex matre (tantum).

Responsio. — Heres eius sit frater eius ex patre et matre. Frater ex matre hereditatem patris eius et matris accipiet, potest enim. Sed hereditare hereditatem cum fratre illo ex patre et matre non potest.

Quaestio octogesima nona. — Alius mortuus est relinquens patrem matris et matrem patris.

Responsio. — Si sit ei proles mascula aut femina, ipsa hereditabit de eo. Si vero non adsit : pater matris eius et mater patris eius aequaliter inter se divident.

Quaestio nonagesima. — Alius mortuus est, non relinquens heredes. Quomodo dividentur possessiones eius?

Responsio. — Si non fecerit testamentum nec fuerit ei heres neque e stirpe paterna neque e stirpe materna, hereditas eius ecclesiae et pauperum erit.

Quaestio nonagesima prima. — Alius reliquit patruos et filiam filiae et filium filiae, hereditatne quidquam filia filiae cum filio filiae, annon?

Responsio. — Heres est filius filiae, non patruus. Filius filiae et filia filiae aequaliter dividant. Cum exciderit hereditas a viris in mulieres aequaliter dividant inter se.

Quaestio nonagesima secunda. — (P. 777) Hereditatne monachus cum fratre suo laico?

Responsio. — Si antequam fiat monachus sumit hereditatem suam et dividit pauperibus, potest hoc facere. Si vero postquam mundo renuntiavit et monachus factus est revertitur ad negotia mundana et relinquit curam hereditatis regni caelorum ut curam gerat rerum mundanarum, audiat Dominum nostrum dicentem sibi : « Dimitte mortuos sepelire mortuos suos [1]. »

Quaestio nonagesima tertia. — Vir quidam mortuus est, et dedit possessionem suam uni ex filiis suis, alteri vero nihil dedit. Aequumne est ita fieri, annon?

Responsio. — Inquirendum est quanam de causa expulerit eum pater eius ab hereditate. Num Deum ad iracundiam provocaverit filius eius et declinaverit ad idola, et despexerit patrem suum? Iuste expelletur et a regno caelorum.

Quaestio nonagesima quarta. — Vir mortuus est relinquens liberos et fratres, nec fecit testamentum. Sunt de liberis qui nondum pervenerint ad (discretionis) aetatem. Et dixerunt fratres : Nolumus relinquere hereditatem filiorum fratris nostri minorum in manibus aliorum, quia quasi

1. Matth., viii, 22.

filii nostri sunt; decet ut post eum filiorum eius minorum curam geramus.

Responsio. — Substantiam parvulorum decet esse in manibus viri timentis Deum sive e domesticis (cognatis) sive ex externis usque dum educati fuerint parvuli, et sumant bona sua. Non autem tradantur bona eorum in manus raptorum et dissipatorum. Episcopum decet de his sollicitum esse.

Quaestio nonagesima quinta. — Alius reliquit fratres et uxorem gravidam. Duravit graviditas eius mensibus (aliquot) et edidit abortivum. Hereditatne abortivus a patre, et mater ab hoc abortivo, annon?

Responsio. — Si servet libertatem (viduitatem) heres est viri sui et filii sui omnibus diebus vitae suae. Si vero velit esse viro alteri et exire (e domo prioris) sumet donum nuptiale et quidquid secum attulit de domo patris sui, et decimam partem bonorum viri sui. Hereditabunt autem fratres viri.

Quaestio nonagesima sexta. — Mulier mortua est relinquens maritum et matrem et sororem.

Responsio. — Dividatur hereditas eius inter maritum et matrem et sororem aequaliter.

Quaestio nonagesima septima. — Alia (p. 778) reliquit filiam filiae et fratres.

Responsio. — Filia filiae heres erit hereditatis eius : non fratres eius. Fratres hereditatem patris sui hereditabunt, non sororis suae nec filiae filiae eius (sororis.)

Quaestio nonagesima octava. — Mulier cui vir eius antequam moreretur legavit legatum de pecunia sua, potestne sumere aliquid (post mortem viri) de pecunia eius praeter quod legavit ei, annon?

Responsio. — Si non frustratus est eam per legatum suum, nihil amplius potest sumere. Si vero frustratus est eam, et laesio eius (mulieris) manifestatur, decet eam

sumere quidquam amplius praeterquam quod legavit ei maritus eius.

Quaestio nonagesima nona. — Vir quidam mortuus est relinquens filium et filiam. Filius stultus et insipiens est. Filia sana est et rationis compos. Decetne nos dare ei (filio) hereditatem patris eius ut ea operetur quidquid voluerit, an manibus sororis suae eam committemus, ut faciat quidquid sibi visum fuerit?

Responsio. — Si soror timens Deum sit et pervenerit ad aetatem muliebrem, detur ei ex hereditate patris eius viaticum conveniens et pulchrum, ut diximus. Reliquum apud eam servetur quod expendat in gratiam fratris sui prout sibi visum fuerit, et adiuvet fratrem suum. Si vero non ita sit fidelis soror ut custodiat partem fratris sui, provideat episcopus virum qualemcumque timentem Deum, cui committat hereditatem stulti ut administret eam secundum τὸ σύνεχον.

Haec ergo ita sint. Si vero alia sint quae hic non posuerimus, ab eis quae posuimus dignoscantur et distinguantur, sicut visum fuerit dispensatori cui de his est potestas.

Expliciunt canones et iudicia nonaginta et novem Venerabilis viri Dei Mār Timothei Catholici.

Vidi,
Die IX Mens. Ian. MCMIV.
Facultatis litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis rector,
L. LIARD.

INDEX

CAPUT PRIMUM

CAPUT SECUNDUM

CAPUT TERTIUM